



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XVI. Societas Jesu intenta publicis calamitatibus sublevandis, ab anno
Christi MDXCI. ad MDCXVI. hominum commodis cum suo sæpeincommodo
detrimentoque servit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)



LIBER XVI.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XVI.


Data passim à SOCIETATE IESU opera in publicis calamitatibus sublevandis. Ab anno Christi MDXCI. AD MDCXVI.



PRIA calamitatum, quibus humana res vulgo vexatur, genera, Fames, Bellum, Pestilentia. I. Societas fert opem populo fame ac morbis laboranti presertim in Italia & Sicilia. II. Inde occasio præclaræ mortis aliquibus Sociis data, presertim B. Aloysio Gonzaga. Ejus vitæ, virtutumque, brevis imago. III. Multi è nostris, dum peste contractos adjuvant, & vitam publicæ saluti devorunt, in variis Europa locis mortui. Nonnullorum virtus insignior, & res præclaræ gesta.

IV. Opera navata in bello, quoad religiosi viris licet. Missiones Casrenses, in exercitu Pontificio, in Pannonico, in Belgico, in Germanico, in Hungarico, & aliis, obita. V. Collocatus utiliter labor in sedandis domesticis quasi bellis, idest, odiis ac similitudinibus privatorum, & alenda in civitatibus ac familiis pace.

VI. Instituta levandis calamitatibus publicis pia Sodalitia, quorum ope consultum est agris, pauperibus, vincetis, &c. VII. Exagitati venefici, saga, magi, & alia, id genus, felicitatis humana pestes.



I.
Ingressus in
Librum XVI.
& ejus partitio.



SI quisque vir probus non se sibi duntaxat, sed publicæ rei, natum arbitrat, multo id verius prædicare de Societate nostra licet, quæ hoc proficitur, ut mortalium omnium, quoad potest, felicitati consulat. Et quamvis animarum saluti ac perfectioni suos potissimum labores devoveat, non tamen corporum utilitates sibi negligendas putat, quæ cum animabus tam arcto sunt vinculo colligata, ut eorum commoda, vel incommoda in ipsas animas redundent.

S. I.
OPEM FERT SO-
CIETAS POPULO
MORBIS ET FAME
LABORANTI.

PORRO cum tria maximè sint calamitatum genera, quibus humana res vexatur, Fames, Pestilentia, Bellum, in iis sublevandis nulli operæ, ac ne suorum quidem vitæ, Societas pepercit. Luctuosus Italiae annus MDXCI. exstitit non solum obitu duorum Pontificum, sed etiam peste ac fame. Inops turba ex agris depulsa, & Romam undique concurrens, errabat per vicos turmatim, obfidebat

fidebat lautorum limina, auresque prætereuntium lamentabili gemitu obtundebat. Puerulorum in primis, quos parentes rusticani destituerant, miseranda species erat. Reptabant seminudi, exangues, pædore atque illuvie obfiti. Nonnulli, cum pedibus insistere non possent, jacebant abjecti temerè ubicumque fors tulerat: alii fame & frigore extincti, cum sol diem referebat, deprehendebantur.

Ibi enimvero Claudii Aquavivæ, & Sociorum pietas ac diligentia enituit. In singulis Societatis domibus certus egenorum numerus pascabatur. Trecentos collegium Romanum quotidie accipiebat: totidem domus Probationis. Ad hæc promiscuæ multitudini, ad valvas nostrarum ædium, stato tempore, certum demensum largiter præbebat. Puerorum præcipuè curam sibi Aquaviva depoposcit. Miste qui vicatim errabundos colligerent: cumque capiendis xenodochium par nullum esset, horreum ingens, quod Viperechius, civis & genere & pietate nobilis, obtulerat, in eos adornavit usus; vasis, culcitis, & supellectili domestica instruxit: addidit è nostris virum industrium, qui res necessarias puerili familiæ dispensaret. Præsto erant è Sociis, qui primùm accedentes, deterfis foridibus, induerent: qui cibo corpora, qui animos divino verbo, rescicerent; qui Christianæ traderent elementa doctrinæ; & quintodecimo quoque die aures peccata confitentibus darent. Ibat agmine composito pusillus grex, singulis diebus, mane in ædem sacram Professorum, ubi operam facienti sacerdoti dabat: inde ad aliquod è celebrioribus Romæ templis procedebat, Sanctorum nomina, ut sit in solenni supplicatione, aut pii carminis aliquid, concinens: idque ipsum post meridiem factitabat: ducebant agmen majores natu, sequebantur minimi, grandisculi succedebant. Sua cuique domi interdiu attributa, ut ferebat ætas, occupatio. Singulorum nomina recitabantur quotidie sub vesperam, ut quis adesset recens, quis deesset, cognosceretur. Ad hunc modum per menses ferè quatuor educati sunt trecenti circiter pueri, & exitio prohibiti. Postquam ætas dedit fruges, & annonam spes lætæ messis levavit, partim remissi domum fuere, non sine viatico: partim in Urbe, ut vitam opificio tolerarent, relictis: partim in xenodochium admitti, paulo ante conditum à Leonardo Ceruso, Italo, cui cognomen *Litterati* factum, quia puerulos inopes, orbatos parentibus ac vagos, sub unum collectos tectum, elementa litterarum ipse homo gravis & eruditus docebat: quibus deinde instituendis domicilium condidit Romæ, eique diu administrato suum *Litterati* nomen reliquit. Illud postea Innocentius XII. pauperum jure dicendus parens, alteri xenodochio, cui S. Michaelis nomen est, ad ripam Tiberinam, inferuit conjunxitque, post annos ferè centum quàm exstrui coeptum erat.

Nec Romæ tantum, sed in aliis etiam Italiæ provinciis, duram levare famem Societas studuit. Ipsa parens frugum, & alitrix Italiæ, Sicilia ejusdem anni MDXCI. sterilitatem senserat: Societatis quoque sensit caritatem. Quotidie ducentos inedia laborantes Panormitana domus; nec pauciores collegium, non paucis mensibus pavit. In Messanensem præcipuè civitatem, ob affluentes undique, tanquam ad emporium amplissimum egenos, fames incuberat. Rector collegii, præterquam quoddam cibos, miserabili turbæ pro foribus dividendos diebus singulis curabat, egit insuper cum parochis, ut pauperum indicem in sua quisque parœcia, conficerent: tum cuilibet parœciæ ac regioni civitatis certos è Sociis assignavit, qui ostiatim conquistam stipem & escas egentibus impertirent. Datum aliis negotium ut lustrarent vicos ac plateas, & quos reperirent fame confectos, in collegium perducerent. Cum tamen glisceret malum in dies latius, incitati à Patribus primarii cives ac magistratus geminas exstruxerunt ædes, alteras viris; mulieribus alteras; in quas è vestigio septingenta hominum capita sunt recepta. Non cessabant interim ubique concionatores adhortari populum, partim ut ingravescentem calamitatem æquo animo toleraret; partim ut laborantibus quam quisque poterat, opem ferret. Ipse Aquaviva, conscriptis ad rectores domiciliorum Societatis litteris gravissimis, præcepit ut populo, quæcumque fas esset viâ, succurrerent; ut cum præsalibus & lautioribus civibus inirent rationes, quibus fieri malo medicina posset: rem facturos Deo longe gratissimam.

2.
Præsertim in
Italia, & Sicilia.

affir-

affirmans, & acceptissimam S. Ignatio, quem aliàs meminissent insignia, dum viveret, hujus in pauperes munificentia dedisse documenta.

3.
Domus puellis
egentibus, ac
periclitantibus,
instituta.

Eodem anno MDXCI. idem Aquaviva Romæ conpexit puellarum agnendicantium. Præbat matrona sapiens, quæ parvum collegerat gregem ac moderabatur; eumque in ædem sacram Professorum, ad sacramenta usurpanda, sæpe deducebat. Accesserat in partem curæ sacerdos pius, ac puellis domum comparaverat. Hanc vero Claudius Aquaviva, qui sacerdotis optimi consilium vehementer approbaverat, instruendam sumpsit; ac lectos, stragula, culcitra, & ceteram supellectilem, quæ triginta puellis, quot ipsæ tunc erant, sufficeret, conquisivit. Ad quadringentas postea excrevit numerus: ac multæ deinceps in Urbe consimiles domus excitatae fuerunt, ad puellarum ætatem teneram ab egestate ac vitiorum pestibus defendendam. Ibi ad pietatem informantur diligenter; diem lanificio ducunt, & artibus variis, quas tractare feminis honestum est, Adultæ collocantur in matrimonium, vel religiosam vitam amplectuntur; aliqua remanent ultrò intra parietes eosdem, magistræ ceterarum futurae. Ad hanc formam, & exemplar primæ, quæ Romæ condita fuerat, domus, aliam Claudius etiam minorem, Tibure instituit. Exemplum urbes variæ sunt imitatae.

Famem, ut assolet, excepit quadam in Urbe lues. Illi si non semper remedia (quæ rara sunt morbis publicè grassantibus) certè solatia & levamenta, Sociorum caritas invenit. Forte dum Aquaviva domo prodiret, in duos hoc morbo contactos incidit: continuo deferri domum nostram imperat: alios iterum offendit postredie, ac similiter deportandos curat; mox conquiri & comportari quoslibet obvios iussit. Paucis diebus tota domus constrata miserorum lectulis apparuit. Nec satis; aedes vicinæ coemuntur, & agris implentur. Sed in tanta illorum copia exiles & angustæ duæ domus erant. Quamobrem adit Julium Fulcum, civem primarium, Aquaviva; quid agatur, quo vergat malum, exponit; privatas aedes & publicas agris differtas ostendit. Fulcus, quæ erat in miseris & ægros indole, quibus se totum juvandis addixerat, haud cunctanter est adductus ut novum in urbe nosocomium exstruendum susciperet: quò identidem Præpositus Generalis subibat cum suis Assistentibus, ministratum agris. Quia porro æs alienum non leve contractum sic fuerat; dissolutum est singularem Numinis providentia, Romam venerat è Peruvia nescio quis, & magnam aurum vim secum detulerat, homo ignotus & advena. Is ibi diem obierat suum. Cum resciri non potuisset, cui ea pecunia jure competeret, Pontifex bonam ejus partem Aquavivæ non rogatus misit.

4.
Mors P. Ludovici
Corbinelli.

*Phil. c. I. 21.

*N. y. 68. Per. II.
Lib. III.

Sic sarciri pecuniæ jactura potuit; non item vitæ, quam è nostris plurimi profuderunt, dum publica sublevare incommoda, suorum obliti, student. Quamquam jactura vitæ non est ulla iis, quibus vivere Christus est, & mori lucrum.*. Facere non possum quin propria laude unum ex illis, P. Ludovicum Corbinellum, ornem, qui Florentiæ ortus, ubi genere, opibus, fama prudentiæ ac probitatis clarissimus erat, in Societatem ascribi jam grandævus & sacerdos voluit, anno MDLXVII. Quid illum ab inanibus profani seculi oblectamentis avocatum ad curam vitæ perfectioris traduxerit, explicant annales nostri ad annum MDLIX.* Collegium Romanum luculenti patrimonii heredem ex asse scripsit, ejusque commodis & rationibus consulere deinceps perrexit. Præterea certum alendis in Romano Seminario nobilibus aliquot Florentinis adolescentibus vestigal assignavit. Intercedebat illi necessitudo peculiaris cum B. Aloysio Gonzaga. Hujus in cubiculum ut æger ipse, & animam agens, deferretur enixe postulavit, neque gravatus est orare senex sacerdos Aloysium adolescentem, necdum sacris initiatum Ordinibus, ut sibi solenni formula beneprecaretur. Insequenti nocte cum decessisset, rogatus à Bellarmino Gonzaga quid de Corbinello sentiret, affirmavit cum igne piaculari confestim expurgatum, feliciter in cælum evolasse. Quæ vox, modestiam Aloysii & in affirmando parcimoniam reputantibus, visa est divini affatus non dubiam significationem habere.

§. II.
OBITUS B. ALOY-
SII GONZAGÆ.

EADEM luce divina collustratus Beatissimus Juvenis diem sui excessus cognovit, ac multis palam aperuit. Is fuit octavus a festo corporis Christi, & XI. Kal.

Quin-

Quintiles *. Theologia operam in collegio Romano dabat, cum nostri, ut modo narrabam, hortante Aquaviva, Urbem ad conquirenda egenis subsidia concurrerant. Tam præclaram caritatis exercendæ occasionem elabi passus non est Aloysius: orat ut liceat sibi, obsoleta in veste, imposita humeris mantica, mendicare ostiatim, & exorat. Isto habitu cultuque dum procederet, adire non dubitavit Joannem Mediceum, Etruriæ Ducis fratrem, qui forte salutandi Pontificis causa Romam recens advenerat, & ab eo stipem flagitare. Princeps prolixam erogavit, egregium religiosæ humilitatis specimen admiratus. Haud contentus eo Aloysius, impetrat à moderatoribus facultatem agris inserviendi *: è quibus dum fœdissimum quemque incredibili alacritate ambit, complectitur, deosculatur: contage noxiâ lentam contraxit febrem, qua victus tertio post mense purissimum Deo spiritum reddidit, annos natus XXIII. & menses admodum tres.

* 21. Junii.
* In nosocomio Urbis, a Consolatione dicto, ad clivum Capitolinum.

Ejus eximiam sanctitatem insignibus miraculis statim Deus declaravit, atque etiamnum declarare pergit, tum in variis orbis Christiani locis, tum præcipue in vico Tellinæ-Vallis, cui Saffo nomen. Ejus gloriam & insignem inter cœlites locum, Deo monstrante, cognovit Diva Maria Magdalena de Pazzis, virgo Florentina, quæ anno MDC. cum impensius Deum oraret, vidit repente medium cœlum discedere: & micantem præcipua luce, in beatorum globo, Aloysium conspiciens, in has erupit voces: *O miram Aloysii, quo filio gaudet Ignatius, felicitatem & gloriam! O si liceret mihi peragere orbem universum, & mortuibus singulis predicare incredibilem Aloysii sanctimoniam, & præmium illi divinitus in cœlo constitutum!* Pergit deinde in alias Beati adolescentis laudes: attollit illius mentem à rerum humanarum contagione secretam, in omnem Deo placendi occasionem & ejus voluntatis implendæ, semper intentam, ac donis cœlestibus uberrimè cumulata. Eundem martyribus annumerat, & occulti martyris nomine meritò donandum profiteretur, ob voluntarias, quibus assidue se discruciat, pœnas, & sacrum divinæ caritatis, quo semper flagravat, ignem. Quæ dum illa diceret, exceptæ sunt ejus voces diligenter: & eas ipsa postmodum recognoscens, esse veras piè jurata confirmavit. Easdem tanquam divinitus acceptas, sacra quæ Ritibus præest in Urbe Congregatio, dum Florentinam hanc Virginem Sanctorum fastis adscriberet, approbavit. His accessit Romanæ Sedis judicium: cum anno MDCVI. Paulus V. Summus Pontifex, postulante Rudolpho Cæsare, per suum tunc Romæ oratorem Franciscum Gonzagam, Castilionis Marchionem, Aloysii nostri fratrem, flagitantibus cunctis ferè Italiæ Principibus, eidem Aloysio Beati nomen indulset. Mox honores cœlitibus haberi solitos, & solennem in templis cultum detulit *: idque ipsum postea Gregorius XV. & Alexander VII. ratum esse jusserunt. Ac demum Clemens X. in Sanctorum indicem, quod Martyrologium vulgo vocant, referri nomen ipsius, hoc ornatum elogio, voluit: *B. Aloysius Gonzaga, principatus contemptu, & innocentia vita, clarissimus.* Eum inter Divos præfides suos, & custodes, publica auctoritate adoptavit Mantua: ejusque imaginem in argenteo expressam numismate Carolus I. Mantuæ Dux, hoc titulo insignivit: *B. Aloysius Gonzaga Protector Mantuæ.*

5.
Testimonium S. Mariæ Magdalene de Pazzis, de B. Aloysii sanctitate, & gloria.

Illius vitam plurimi fufius conscripserunt: è quibus pauca hæc decerpimus. Ortus est ex inclyta Gonzagarum stirpe, anno MDLXVIII. VI. Idus Martias, patre Ferdinando Gonzaga, Castilionis in Gallia Cisalpina domino; & Imperii Principe; matre Martha Tana, lectissima, tum ob pietatem, tum ob generis claritatem, femina. Difficillimo editus fuit partu; neque prius lucem hausit, quam mater in summum vitæ periculum adducta, votum Lauretanæ peregrinationis rite nuncupasset: adeo ut Aloysii quasi altera parens Deipara dici possit. Anno ætatis nono profectus Florentiam cum patre, illic ante aram Beatissima Virginis ab Angelo salutata perpetuam virginitatem voto sancitam Numini consecravit, quam illibatam servavit ad extremum usque diem; nec tantum purgatam ab omni carnis & spiritus inquinamento, verum etiam virtutum ceterarum præsidio munitam sic habuit, ut Cardinalis Bellarminus, cum totius vitæ labes, paulò ante obitum in sacra confessione recensentem audivisset, affirmaverit eum nullius letalis culpæ conscium decessisse: quod alii quoque tres prudentiæ ac

* 31. Martii an. 1618.

6.
Synopsis vitæ, & virtutum Beati Aloysii Gonzagæ.

pro-

probitatis eximie viri testati sunt. Bellarminus quidem certe, illius in Societate pietatis moderator, & conscientie arbiter, cum in Cardinalium cœtu, in quo de Beatorum honoribus Aloysio decernendis agebatur, explicuisset fusè ac luculentis argumentis probasset cœlestia munera, quæ in famulum suum benigna Numinis manus congesserat, Purpuratos Patres admiratione ac veneratione defixit. Nec mora fuit quin, dissentiente nemine, decretum de illo Beatis adscribendo rite conderetur secundum Bellarmini vota: cuius etiam est hoc insignis quanti Beatum adolescentem faceret documentum, quod in testamento faciendum declaraverit gratum sibi fore, nisi superioribus Societatis aliter videretur, ut *corpus suum jaceret ad pedes B. Aloysii, mei quondam*, inquit, *spiritualis filii*. Jam, quibus veluti gradibus ad excellentem hanc sanctimoniam provectus fuerit Aloysius, operæ pretium est cognoscere.

7.
Ejus vita & pietas ante initam Societatem.

Duodecimum ingressus annum, præter eam orationem quæ voce fit, alteram, quæ mente peragitur, Deo docente didicit, tanta cœlestis dulcedinis ubertate, ut eam angustum pectus non caperet. A famulis indagantibus per ostii rimas quid in conclavi tacitus ageret, observatus est sæpissimè, complures horas ducere ante Christi è cruce pendentis imaginem, nunc prona humi facie, nunc in genua paulisper erectus, brachiis aut explicatis, aut ante pectus decussatim compositis, flagrante vultu, & lacrymis perfuso; crebra suspiria & singultus edens; interdum immobilis & obtutu in uno defixus, animo à sensibus avocato, nullum ut strepitum exaudiret, neque ob oculos posita conspiceret. Talem natus Castilione Aloysium Carolus Borromæus Cardinalis, cum illac haberet iter, suavissimo puerulo, Angelorum mores proxime jam imitanti, auctor fuit ut panem Angelorum sumere ne cunctaretur (nondum enim ad cœlestem accesserat mensam) eumque primus illi porrexisset perhibetur: simul idoneis ipsi monitis imbuit, ut quas plena manu dotes in eum divina bonitas congesserat, alere atque augere posset. Accitu patris Casale commigrans, ibi consilium ineunda vitæ religiosæ cepit; ac laboriosæ virtutis officia, quæ in cœnobiis audierat frequentari, exercere aggressus est: convivium & spectacula, quod invitabatur; inanes aurium, oculorumve, quibus profana curiositas pascitur, delicias fugere: ter singulis hebdomadis arido pane vesci: quotidie integerrimos artus diverberare; calcaria ferreis aculeis aspera lateri per somnum subicere, ut ne sine dolore aliquo carpere quietem ipsam posset: exilire stratis sub mediam noctem, & nudis genibus humi positis antelucanas religiosorum virorum preces emulandi.

Cum iisdem versabatur frequens, ac differentes de rebus divinis cupidissimè audiebat: cumque illorum instituta moresque inspiceret, mirabatur & amabat illam rerum humanarum despicientiam, in adversis æque ac prosperis animi æquitatem; defixas in cœlo mentes, & à terrenis cupiditatibus curisque longissimè disjunctas; in vivendi summa austeritate hilaritatem; in dissimillima ingeniorum & nationum varietate, concordiam voluntatum; descriptas communiter orandi, agendi, & quiescendi vices; solitudinem, silentium, vitam denique cœlitum vitæ proximam: & hanc germanam, qua quidem in terris frui mortalibus liceat, felicitatem esse non immerito reputabat.

Exeunte anno MDLXXXI. Ferdinandus, Aloysii pater, Mariam Austriacam Caroli V. filiam & Maximiliani II. conjugem in Hispaniam proficiscentem comitatus est cum liberis. Aloysius per duodeviginti menses, quos in aula Madritensi egit, inter pueros nobiles Didaci Principis, operam dedit philosophiæ, nihil de pristina vitæ asperitate, ac pietatis acerrimo studio remittens, magna aulae totius lectissimæ ac frequentissimæ admiratione. Annum sextum decimum attigerat, cum deliberare sedulo instituit de religiosa, quam iniret, familia. Jam coeperat affici erga Societatem,volvendo P. Canisii libro, in quo eximiam viri pietatem pari conjunctam eruditione suspexerat: nec non lectitandis nostrorum ex India litteris, quorum asperos & fructuosos animabus labores imitari gestiebat. Quam cupiditatem ut quodammodo expleret, quidquid poterat opis in alienam salutem impigrè jam tum conferebat, docendis rudibus, domesticis famulis erudientibus, ac, si quid peccarent, objurgandis; demum flagitiosis ad bonam frugem, qua-

quacumque posset via, revocandis. Suberat illa quoque spes, si coopretetur in Societatem, profundendi aliquando inter barbaros pro Christo sanguinis; saltem latendi, & honores sacros declinandi, quibus aditum Societas, interpositâ voti religione præcludit. His etsi valde moveretur, divinam tamen voluntatem certius explorare summo studio conabatur. Dum in hanc aliquando curam vehementius incumbit, ac deliberationem gravem per se se & difficilem Beatissimæ Virgini, cujus in cœlum Assumptæ dies festus agebatur, ante celebrem Madriti ejus imaginem commendat; vocem ipsius accepit intus disertè admonentem ut Societatem Jesu amplecteretur, idque suæ conscientia moderatori quamprimum aperiret. Huic deinde imagini, ad servandam rei gestæ memoriam, nomen **DEIPARÆ A BONO CONSILIO** factum est: eaque in ornatissimo Madritensis collegii facello etiam nunc visitur. Hanc vocem a B. Virgine profectam nihil dubitans, à qua in filii sui Societatem vocaretur, totum se maternæ ipsius curæ permittit, eamque impensius deinceps, velut tanti boni, secundum Deum, auctorem coluit: cujus etiam beneficio singulari consecutus est, non modo ut omni libidinis impuræ motu, sensuque, dum vixit, careret; verum etiam, ut nulla mentem obscena pulsaret cogitatio. Nec tamen idcirco negligebat præsidia, sine quibus ille flos purissimus, in adolescentia præsertim, marcescit. Raro prodibat in publicum: sensus omnes continebat in officio, austeritate incredibili; oculos ab omni obtutu periculoso, maximè feminarum, mira diligentia removebat: adeo ut Mariæ Austriacæ, quam longo itinere profectus erat, quam singulis prope diebus cum Didacò Principe adierat per biennium, salutandi causa, vultum nunquam spectaverit: ut ipsemet uni è nostris sacerdotibus, Neapolitanæ tunc provinciæ præfidi, confessus est. In purissimum corpusculum inedia, flagellis, cilicio, solitudine, silentio, ac inauditis quibusdam artibus, quas Christi domini suggerebat amor, sæviebat. Sic oderunt se sancti, sic amant. Leniebat hanc vitæ asperitatem ardor meditandi res divinas, ac præsertim Christi necem, cujus contemplandæ nullum faciebat finem, cœlestibus assuens deliciis, tantamque vim lacrymarum profundens, ut iis humum conspersam vulgo relinqueret; maxime cum divino sacrificio intererat. Alebatur etiam frequens Divino pane: hinc animi constans vigor, hinc illa delicia. Triduo toto se comparabat ad sacrum epulum: triduum postea gratis agendis insumebat. Ejusmodi præfidiis eam adeptus est castimonie laudem, quæ Angelici cognomen ipsi peperit. Quo illum nomine Romana Rota cohonestavit*, cum de ipso in Beatorum numerum referendo ageretur. Post impetratum & expressum invicta triennii constantia Ferdinandi parentis assensum, abdicato avito principatu, quem Rodolpho fratri natu minori concessit, annum ætatis undevicesimum agens, VII. Kal. Decemb. anno MDLXXXV. ascriptus est in Societatem Jesu, à Claudio Aquaviva Præposito Generali; & domum Probationis ingressus, Davidicum illud incredibili lætitiâ usurpavit *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam*. Inde provolutus ante majorem templi aram, gratias Deo immortales egit, quod sua dirupisset vincula; seque victimam in ejus honorem, religiosi mactandam votis, obtulit*: atque hunc deinceps diem (erat is Divæ Catharinæ martyri sacer) præcipua religione, tanquam vitæ melioris exordium, coluit.

Hujus porro vitæ sanctioris perfectionem regulis Instituti nostri observandis sapientissimè desinens, ab illis ne transversum quidem unguem discedere decrevit; quod summâ deinceps fide præstitit ac diligentia; sic, ut ne chartulam quidem, nisi prius petita facultate, donaret; aut mitteret voculam, quo tempore silentium lex imperat: aut patrio uteretur sermone, cum Latinum jubentur qui apud nos operam dant litterarum studiis, adhibere. Quid multa? nulla se neglectæ aut violatæ cujuslibet regulæ premi conscientia moriens affirmavit. Videantur hæc fortasse nonnullis levia; sed aliter existimabit quicumque divinæ voluntatis, in qua exequenda virtutis veræ summa consistit, vim dignitatemque perpendet. Hanc enim in minimis rebus obeundis non minus spectare possumus, imo etiam certius ac luculentius, quàm in magnis & speciosis: siquidem in magnis sæpe nos amamus ipsi; in exiguis, nihil præter Deum, ejusque sanctissimam

8.

Appellit animi ad Societatem Jesu, auctore potissimum B. Virgine.

* Aloysius Angelicus dici potest, quia Angelicam habuit puritatē. In rel. Rom. Rotæ ad Paulum V.

* Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Psal. 115.

9.

In quo maxime religiosam perfectionem reponeret.

* Non sunt con-
temnenda tanquã
parva, sine qui-
bus magna con-
stare non possunt.
Hieron.

voluntatem videtur esse quod amemus*. Domorum religiosarum præpositi ob-
tinent locum vivæ cujusdam regulæ, imo Numinis ipsius. Eorum non imperia-
modo, sed levissimos nutus observabat, ac ne iudicium quidem suum ab eorum
sententia dissidere patiebatur. Alias obediendi causas afferri sibi dolebat præter
hanc unam, Dei per hominem imperantis arbitrium. Germana obedientiæ re-
ligiosæ paupertas est. Omnia vulgaria confectabatur ac detrita, in supellectile cu-
biculi, in libris, in vestibus; ea deposcebat, in his placebat sibi. Sanè cubicu-
lum postremis vitæ mensibus, obscurum, angustum, omnibus ornamentis va-
cuum, ac pæne squalidum elegit; longe ab illis discrepans, qui hoc in religiosis
etiam familiis impensè curant, ut bene semper, nec sine magno interdum sum-
ptu, habitent. Paupertatem fere comitatur vita austerior. Apage enim delica-
tam illam, quæ nulla re caret, quæ commodis omnibus abundat, paupertatem,
Aloysio in deliciis fuit inediatam tolerare, cibos viliores conquirere, sæpe nihil
obsonii ad panem & aquam adhibere; omnes vexandi corporis, sedendo, stando,
ambulando, vias rimari; exprimere flagellis copiosum sanguinem; dolorem ca-
pitis, quo gravissimo sæpe laboravit, non remediis & fomentis, sed pacien-
tia lenire; præscriptas à medicis amaras potiones lentius & sæpe regustando, hau-
rire; nullum denique cruciandi sui locum prætermittere. Hanc tritam à Christo
viam fuisse dicebat; hanc usurpatam ac monstratam à Sanctis omnibus, & à pa-
rente Societatis Ignatio, qui certam corporis afflictationi legem & modum in
Ordinis sui constitutione ideo non præscripsisset, quod persuasum sibi esse dice-
ret, universis Societatis Jesu alumniis hanc usque adeo cordi futuram, ut inhi-
bendi freno potius, quam calcaribus incitandi forent. Neque vero magis do-
mando corpori studebat Aloysius, quàm animo, cujus motus omnes aut pacare
aut frangere antiquissimum sæpe habuit. Multus in cupiditate honoris compri-
menda fuit; ex omni re contemptum sui colligens, idque sæpe ambire visus,
ut domestica ministeria vilissima obiret, ut reprehenderetur publicè ac objurga-
retur, ut tanquam ignotus & nullius pretii præteriretur, ut ingenium quo præ-
stabat, prudentiam, nobilitatem, aliasque dotes celaret premeretque. Ita, cum
philosophica in collegio Romano placita suscepisset propugnanda, in amplissimo
vitorum lectissimorum confesso, cogitavit ineptis responsis præbere speciem inge-
nii tardioris, id omnino facturum, si moderatores, quos in omni re consulabat,
annuissent. Amore singulari & obsequio prosequatur illos, à quibus contem-
ni se se, aut negligi crederet; aliorum officiis & benevolentia, tanquam sibi mi-
nimè debita, cunctanter & parcè respondebat. Earum autem rerum quæ vulgi
opinione sunt magnæ*, tantus inerat contemptus, ut insultare mortalium cæci-
tati velle videretur. Memoriam ipsam & umbram nominis pristini, dulces ali-
quando, etiam in religiosis claustris, mundi reliquias, enixè fugiebat. Una illi
regula sentiendi & agendi Deus, coelum, æternitas. Itaque celebratur hæc il-
lius vox, sive effatum, quo, tanquam normâ, si quid occurreret deliberandum,
utebatur: *Quid hoc ad æternitatem?*

* Quod altum est
hominibus, abo-
minatio est ante
Deum. Luc. 13.

10.

Ejus caritas in
Deum, & aliæ
virtutes religio-
sæ.

Ita comparatus non est mirum si tanta flagraret in Deum caritate, quem
ut præsentem ubique familiariter alloquebatur, & amplectebatur suavissimè: ad
cujus mentionem totus inardescibat, ac præclusa voce, laboranti similis, hare-
re sæpe cogebatur. Hinc facilitas orandi summa, & veluti fames, quam divi-
nus amor acuit. Quis enim amici, aut parentis amantissimi consuetudine collo-
quioque non gaudet? Nec alia cur precationem aliqui fastidiant causa vulgo est,
quàm aut mortua, aut agra in languido pectore caritas. Hinc mira inter pre-
candum Beati adolescentis attentio, qui cum rectori collegii Romani rationem
conscientiæ redderet, ingenuè fassus est, si alienæ omnes cogitationes, quæ oran-
ti seu mente seu voce totis sex mensibus obrepserant, in unum colligerentur, vix
fore ut spatium recitandæ Angelicæ salutationis implerent. Attentionem adju-
vabat acris illa sensuum custodia, præsertim oculorum, quibus ita moderabatur,
vix ut iis, quod de D. Bernardo prædicant, nisi ad officia pietatis, uteretur, ac
sæpe coram posita non cerneret. Sic aliquando jussus nescio quid ex eo loco su-
mere, quem in communi triclinio collegii rector occupabat, negavit se locum
scire.

scire. Atqui cibum à tribus jam mensibus in eo triclinio capiebat. Celebritatem vero spectaculorum, magnificas potentum aedes, & alia id genus, quæ Joannes Apostolus *superbiam vitæ** vocat, non modo visenda sibi, sed ne in sermone quidem usurpanda existimabat. Quàm attentè ac familiariter cum Deo, tam libenter ac sæpe de Deo loquebatur. Solenne illi erat à cibo sumpto, quando mutua colloctionis facultas datur, pios miscere sermones: qui ut facilius inducerentur, & quasi ex ipsa re nati, nec longius arcessiti, prospiciebat idoneos unde possent hauriri, fontes, & cum amicis paciscebatur ut operam eò suam quisque, ac veluti symbolam, conferret. Quæ consuetudo ita percrebuerat in collegio Romano, ut inter nostros, qui tunc ibi versabantur, non alia fere colloquendi materia, in quotidianis ejusmodi congressibus, aut cum ibatur in villam auræ liberioris captandæ causâ, quàm de Deo rebusque piis esset.

* Epist. 1. c. 2.

His aliisque id genus virtutibus egregium Societatis nostræ Scholasticis, quos vocamus, exemplar, ac posteris intuendum proposuit. Elucebat in eo singularis erga suos philosophiæ ac theologiæ magistros observantia, quorum doctrinam & methodum nunquam auditus est vel minima vocula improbare: modestia etiam insignis & gravitas, quâ illecti externi sæpe discipuli ad eum spectandum consistebant, eoque conspectu acres ad pietatem stimulos sibi admoventi fatebantur: denique creber usus precatationis, quo sic studia litterarum, per se se arida satis & jejuna condiebat, ut nunquam libros nisi prævia oratione sumeret in manus; nunquam iniret scholam nisi salutato ante aras Christo, & horas omnes subsecivas in meditatione rerum cœlestium collocaret. Vixit in Societate Jesu annis quinque & mensibus septem. Roma bis peregrè profectus est: primum Neapolim, cum adhuc tirocinium obiret, valetudinis causâ: deinde, post emissa vota, in patriam, annis admodum duobus in curriculo theologico jam confectis, ad componenda dissidia quædam, inter consanguineos exorta Principes; quos ad pristinam concordiam, à plerisque frustra tentatam, nullo negotio reduxit. Præterquam quod enim singulari valebat prudentia, tum etiam nihil solebat orare Deum, quòd non exoraret. Reversus Mediolanum ibi substitit aliquandiu: Romam inde revocatus, dum agris lue infectis ministrat, ab iis morbi mortificæ causam, caritatis, ut ita dicam, martyr hausit. Nec præfenti morbo, ac suo periculo deterritus est, quominus à Claudio Aquaviva peteret veniam, concepto rite voto, inserviendi peste contactis, si morbum depelleret. Nam, ut erant anni exitialis initia, ne malum ingravesceret metuebatur.

Quod sanus ac valens servaverat, ut de rebus divinis sapissime loqueretur, id æger ac moriens tenuit impensius: ac si quis alias res induceret in sermonem, tacitus, & quasi obdormiscens, torpebat: revocato ad pietatem colloquio, erigebat se, ac frontem leniter explicabat. Cum autem fuisset injecta mentio de flammis quibus animæ post obitum purgantur, quasi vixit num essent quæ fugerent hæc incendia, & cœlum recta peterent. Affirmante Bellarmino, coepit oculis manibusque sublatis prædicare beatam illarum sortem, quæ corporis vinculis exsolutæ ad cœlestis sponsi amplexus statim evolarent. Ego vero, subjecit Bellarminus, unum te ex illis fore confido. Qua voce juvenis integerrimus tanto repente gaudio delibutus est, ut noctem totam in cœlestis patriæ spe desiderioque, velut à corpore jam abstractus, consumpsit: nec sibi temperaverit, quin suam aliis latitiam impertiret. Postremis diebus a sacerdote recitari sibi septem psalmos, qui ad pœnitentiam pertinent, rogavit, collocata supra lectum Christi è cruce pendentis imagine, quam obortis lacrymis intuens, eadem quæ sacerdos clara voce, ipse submissâ, reperebat. Novissimus dies, ab eo sæpe non dubitanter designatus illuxerat. Sacrum Viaticum deferretur agro: ad cujus conspectum ita exarsit, ita exiliit, ut prodire obviam Christo velle diceres. Ad extremum omnes qui aderant, amantissimè complexus, valere singulos jussit, iisque digressis, & acceptâ, quam admonitus de illius morbo Pontifex indulgebat, plenissima delictorum veniâ, post paulò, JESU nomen suavissimum intermortuis appellans verbis, excessit, sub finem horæ tertie illius noctis, quæ an. MDXCI. octavam post festum corporis Christi lucem sequebatur, id est, paulo ante mediam noctem: unde anniversarius

I I.
Piè moritur.
Honor sacris
ejus cineribus
habitus. Sacel-
lum ipsi dica-
tum in collegio
Romano.

rius dies constitutus fuit undecimus Kalendas Quintiles. Decurrebat mensem quartum anni ætatis quarti & vigesimi.

Demortui corpus magnam habere venerationem apud omnes cœpit, ac peractis ingenti concursu exequiis, de Bellarmini graviorumque Patrum sententia, præcipuo in loculo conditum est; ex quo septem post annis in alium ornatorem translatum fuit. Anno deinde MDCIL. increbescente sanctitatis & miraculorum fama, plumbeo in feretro componendum Aquaviva censuit, ac paulo post in excavato pariete sacelli Deiparæ collocandum. E sacris ejus reliquiis aliis aliis distributæ: caput Francisco Gonzagæ, ipsius fratri, Castilionis Principi, datum; quod ille suam in urbem deferendum curavit; ubi theca inclusum argentea servatur, in templo ipsi dedicato. Eiusdem sacri cineres anno MDCL. illati sunt in magnificentissimam collegii Romani ædem, a Cardinali Ludovico constructam; ac denique anno MDCXCIX. exeunte repositi fuere in ornatissimo ejusdem templi sacello, quod illius memoriæ atque honori consecravit Marchio Scipio Lancellottus, ejus opera bis gravissimi morbi periculo liberatus.

Sacelli structura quatuor maximè columnis constat, è viridi marmore antiquo, in spiram tortis, & altis palmos duos ac viginti. Bases columnarum, capitella, & alia id genus ornamenta, auro inducta puro nitent. Posterioribus columnis duabus impositi sunt Angeli, fasciculum liliorum præ manibus habentes; anterioribus verò binæ statuæ insident, quarum altera Innocentiam, altera Pœnitentiam repræsentat. Pars sacelli superior, inter istas hinc inde columnas patens, & imminens altari, tabulam ingentem marmoream exhibet, palmos altam triginta, latam denos quinos, pulcherrimo cinctam margine. Exstat in ea & prominet subjectum nebulis simulacrum B. Aloysii, è marmore candidissimo. Vestis illi, qualem alumni Societatis, nondum sacerdotes, quandiu litteris operam dant, Romæ gestare solent: caput dextrorsus modestè demissum; admodum pectori manus; dextrum genu depressum, sinistro modice sublato; totus corporis habitus pietatem & humilitatem spirat. Circumstant Angeli complures, in eodem calati marmore; hic vertici coronam è floribus imponit, ille lilium præterdit manu; alii circumvolant plaudentium ac venerantium ritu. In sacelli partem, infra marmoream hanc tabulam, ara obtinet, cujus interiorum suum implet urna in modum tumuli confecta, sacras B. Aloysii complexa reliquias, & exquisito artificio elaborata. Constat è lapide, quem Latulum Itali vocant, sapphirum veteres, ut quibusdam placet, appellabant; coloris carulei, venis aureis intermicantibus. Ad urnæ latus utrumque insident pulvillus Angeli minores duo marmorei; unus tenet manu catellam cuspidibus ferreis hirsutam, flagellum, ac similia pœnitentiæ Christianæ arma; jacet ad ejus pedes corona, qualis Marchionibus vulgo tribuitur; floream alter corollam dextra gestat; & globum sapphirinum humi abjectum calce, velut indignabundus, propellit. In cancellis altari præteritis, & ex antiquo confectis marmore, stant Angeli duo majores, minoribus aliis stipati, funalia præferentes. Parietes sacello circumpositi, marmore selecto, quod striatâ discriminant parastatæ, vestiuntur. A dextra lavaque assurgunt odæ gemina, columnis sulca grandibus, & Siculo marmore, auro, variisque ornamentis radiantia. Sacelli fornix pingunt elegantes tabulae, celeberrimi pictoris * opus. Pavimentum, cancellos longè latèque ambiens, ianthino, croceo, & versicolore saxo sternitur. In medio stellæ tres, insignis gentilitii Lancellottorum scuti; cum inscriptione, in sepulcralem incisa lapidem:

Scipioni Lancellotto, Lauri Marchioni, parenti optimo, & sacelli hujus, ob valetudinem à B. Aloysii bis impetratam, auctori primo: sibi que & suis, Octavius Maria Lancellottus, Lauri Marchio, paterna emulato pietatis, aucta ad opus perficiendum aris relicti sorte, monumentum hic posuit. Ut ipsi etiam majorum ac posterorum cineres Patronum suum propius recognoscerent, colerentque. Anno Domini MDCXCVIII.

S. III.
MULTI E SOCIETATE, DUM PESTE CONTACTIS MINISTRANT, EXTINCTI.

IIDEM, qui valetudinem B. Aloysii fregerant Romæ, pii labores juvenandis mortalibus fame ac morbo confictatis impensè, alios è Sociis, in aliis Italiæ urbibus è medio sustulere. Insignem inter illos obtinet locum P. Ludovicus Penardus.

* Anno 1605.

in templo
in altari sub marmore

* Andrea à Puteo, Societ. Jesu.

nardus, ob singularem in ope miseris ferenda industriamque memorabilis. Nemo non mirabatur hominem privatum, nullis domesticis copiis ac facultatibus præditum, curas magistratum concipere, largitiones superare locupletum. Aderat agris & morientibus diu noctuque: quidquid animis, quidquid corporibus levandis ministerii desiderari poterat, ubique præstare videbatur. Ita in homine uno præsidii sæpe plus ad publicam rem & opis est, quam in sexcentis aliis, qui numerus tantum sunt. Reliquit ingens desiderium sui Tibrinensis, in quibus excolendis maximam vitæ partem posuerat, & quorum prope in sinu mortuus, altero & tricesimo ætatis anno, adhuc in animis & memoria vivit. P. Petrum Braccinum pestilentia similiter, morsque castrensibus ærumnis accelerata sustulit. Flagrabat Gallia civili bello. Constatum ad tutandam istius Christianissimo regno religionem, sacrum quoddam fœdus, præcipuè a Parisinis, fuerat. Rogatus Pontifex Gregorius XIV. ut fœderatis suppetias ferret, Italorum copiis ducem Herculem Sfondratum, fratris filium, præfecit; additis quatuor è Societate sacerdotibus, qui militibus sacra procurarent. Braccinum ipse Sfondratum conscientie suæ arbitrum delegit. Exercitus Pontificius iter longum sub feriis Paschales aggressus, & æstivis caloribus infestum, incunte autumnò Virodunum, urbem Lotharingiæ, vix tenuit. Ibi lues popularis in castris grassata, Braccinum de una militum salute, de valetudine sua nihil sollicitum, percussit IV. Non. Novembr. MDXCI. cum jam ingens operæ-pretium paucis mensibus fecisset, jurgis, dissidiis, ceterisque militaribus flagitiis compefcendis. Inter varias viri laudes ea peculiaris memoratur, quòd identidem recipiebat se in tirocinium, ubi permistus novitorum gregi, animum piis meditationibus accendebat; arma, quibus deinceps in prælio uteretur, acueret ac reparare se discitans. Eum habendis per Quadragesimam sacris concionibus exciverant Romæ cives Sancti Genesii (oppidum est Piceni) & simul viaticum prolixè suppeditaverant, ut centum passuum millia, quæ Romam inter & S. Genesii oppidum interjacent, commodius conficeret. Braccinus, communis inopiæ memor, quæ Italiam, uti diximus, pervastabat, viaticum integrum, & corrogatos ab amicis nummos reservavit egenis oppidi sublevandis: ipse iter laboriosum pedes, duriterque victitans emensus est. Neque vero concionum labor assiduus impedimento erat, quominus in ergastulis & nosocomiis consolaretur miseris, audiret confitentes in templo; aedes locupletiorum adiret, emendicans quæ deinde pauperum tuguriis importaret. Ita qui se gerit, mirum non est si conciones habeat frugiferas, & quocumque liberit impellat animos audientium, quos dicentis vita plus movet quàm verba. Hoc in Braccino insigniter perspectum fuit. Exarserat inter cives duos, patrem filiumque, discordia tanto atrocior, quanto justior esse concordia debuerat. Eo evaserat furor amentis filii, ut paternam aliquando irrumpens domum, duplici cum pugione, alterum patri porrigeret, ut singulari certamine odium inexpiabile tandem finiretur. Pater filium parricidam detestatus, amicorum opem & magistratum implorabat. Cohorrescebat universa civitas; qui medicam afferret manum, ac vesanum adolescentis furorem frangeret, nemo erat. Utrumque Braccinus adiit, vicit, conciliavit.

Exemplum religiose caritatis præclarum eodem anno MDXCI. dedit Avinionione P. Franciscus Gurmus collegii rector. Grassante per infimam plebem lue, monitus est ut sibi parceret; ejusdem generis pestilentia in eadem urbe, ante annos quatuordecim undenos è nostris oppressos fuisse. Animos generoso pectori addidit periculi denunciatio. Princeps in arenam descendit, sequentibus impigrè decem Sociis. Omnes contagio lurida vulnerati vix evaserunt. Patres Gurmus & Pequetus ceterorum vitam sua morte visi sunt redemisse. P. Petrus Pequetus Allobrox, post longam cum pestilenti febre collustationem, ad vicinum, ubi aer purior, oppidum deportatus fuerat: sed cum nihilo melius haberet, brevi * rebus humanis exemptus est. Viri eximiam virtutem declaravit insolita lux per cubiculum in quo decessit, quandiu jacuit in eo corpus exanime, diffusa cum odore suavissimo: nec non conspecta crux in aere, imminens corpori, cum tumulo inferretur. Translatus est ex oppido, ubi diem obierat, in collegium.

Cat-

12.
P. P. Ludovicus Pennardus, & Petrus Braccinus.

13.
P. P. Franc. Gurmus, & Petrus Pequetus.

* V. Id. Quintil. 1591.

* *P. Theophilus
Raynaudus Tom.
XVII. pag. 634.
Tannerus, &c.*

* *Part. III. Hist.
ad an. 1569. Lib.
V. n. 140.*

Carpentoraſtense anno MDCXXXVI. Transferendi occasio hæc traditur. Vifa per dies plurimos erat in ejuſdem collegii aræ majoris gradibus nova ſpecies religioſi hominis, induti Societatis veſte, genibus nixa, ſplendore vultus tanto, ut intuentium aciem perſtringeret. Hanc ſpeciem, hæc ora P. Pequeti eſſe, qui olim cum viderant, agnoverunt. Itaque in eo ipſo, ubi ſic fuerat conſpectus, loco tumulatus eſt *. Inventum fuit in feretro, cum exportaretur corpus, roſarium ſuis adhuc globulis conſtans, quorum unus nobili matronæ, jam diebus decem cardiaco morbo laboranti admotus, ægram continuo perſanavit. Ipſe adhuc ſuperſtes infantem, antequam ſacro latice perfunderetur mortuum, ab interitu revocaverat, ut virorum graviffimorum teſtimonio compertum eſt. Admirabili dexteritate pollebat in tractandis animis, atque in vera pietate confirmandis; adeo ut, quorum ſemel excepiſſet confeſſiones, vitamque compoſuiſſet, illi inſcriptum iter virtutis ad extremum uſque ſpiritum vulgo inſiſterent. Valebat idem inſigni ad conſolandos caſus mærentes facultate, propoſita Dei, humanos caſus diſtincte ac ſingillatim diſpenſantis æquitate, clementia, & ſapientia. Itaque ultro ad Pequetum concurrebant quicumque aliqua calamitate premebantur, & omnem in ejus ſinu deponebant ægritudinem; neque ullum erat cernere, qui triſtis ab eo diſcederet. Nec mirum: quippe cœleſti ſemper ipſe lætitia diſfluebat, hauſta ex orationis ac divinæ familiaritatis perenni fonte, ex quo in ejus pectus tanta redundabat vis gaudii, ut illi impar animo ſæpe linqueretur, & jaceret motus omnis ac ſenſus expers. Plurimum Avenionenſi collegio profuit, cum Romano profecto P. Antonio Poſſevino * ejus rectore, ad Congregationem procuratorum, qui ſingulis trienniis è qualibet provincia in Urbem conveniunt, diſſeminatus eſt urbe tota rumor, Poſſevinum idcirco Romam iviſſe, ut ſacræ Inquiſitionis tribunal Avenione inſtitueretur. Hoc rumore plebs efferata collegium excindere decreverat. Cum nemo è noſtris auderet efferre domo pedem, ſoli Pequeti foras prodire impune licuit: tanta erat virtutis veneratio! Huic ſtudio civium & benevolentia non deſuit; nec prius eoſdem, ſæviente peſtilentia, juvare deſit, quam vivere.

Anno MDXCII. Catanzaræ, extrema in Italia, peſtilentis morbi contagio magnam civitatis partem paucis diebus abſumpſit. Omnibus metu percullis, plurimis diffugientibus, atque illis adeo, quibus levandæ calamitatis alienæ curam officii lex imponebat, oneris præclari pars maxima in Socios incubuit. Effuſi collegio ſexdecim in noſocomia, in cuſtodias publicas, in ſyneſtas, ubi mors & inopia regnabant, domos, nullo vel tempore vel loco ſedulitatem ſuam & induſtriam deſiderari paſſi ſunt. Oppreſſi tres fuere. Tres pariter anno ſequenti Lublini. Triennio poſt totidem in hac arena caritatis fortiter ad obitum uſque depugnarunt Brigantiæ, Duaci, & Caleti. Caletum tranſgreſſa lues Audomaropolim, ſtragem tantam edidit, ut nulla non infecta domus eſſet; plurimæ omnino exhauſtæ. Ergo Patrum ſubſidium enixè magiſtratus rogat. Rector collegii vocat univerſos; operis heroici neceſſitatem, periculum, gloriam proponit; ac ſi cui ad audendum ſatis animi ſit, proſteri palam jubet. Nec plura: procumbentes in genua undeviginti laborioſam provinciam depoſcent ultro, & ſe neci devovent. Certi ex hoc delecti numero, inter aliorum piè invidentium amplexus ac ſtetus, in paratas à magiſtratu aedes è collegio diſceſſere.

Dignus peculiari videtur laude Pater Jacobus de Vicariis Neapolitanus, à Præpoſito Societatis miſſus in Indiam. Multa dedit in itinere maximarum documenta virtutum, præcipue autem caritatis, ut ex uno cognofci factò poteſt. Jacebat nauta peſtilenti febre contabefcens, & ab omnibus, propter morbi extialis contagionem, deſtitutus. Hunc vero ſibi curandum alendumque ſumpſit, & omnia non tantum animo, ſed corpori quoque neceſſaria præſidia tandiu ſubmiſtravit, ſumma cum admiratione ac laude tum ægrotantis, tum aliorum qui eadem navi vehebantur, donec morientem piè componeret. Eâdem continuo peſtifera lue contactus, dies aliquot in ſummis doloribus exegit: cumque vectores fraëto gubernaculo coacti fuiſſent navim appellere ad Braſiliæ littora, delatus eſt Soteropolim, ubi cœleſti Viatico reſectus, quod illi unicè in voris erat, ani-

14.
Alii variis in
locis, & eodem
officio caritatis,
oppreſſi, ab anno
1592. ad 1597.

nam in Bahyensi Societatis collegio, & complexu nostrorum efflavit. Annus MDXCVII. peste sæva multis infectus locis nostrorum caritati materiam præbuit ampliolem. Duo gloriosam ultro mortem obierunt Vienna in Austria: quatuor Flavionaviæ, ubi medici pro sua prudentia fugam, certissimum in his malis remedium, capessere festinaverant, & illos nonnulli pastores animarum fuerant imitati. Utrorumque vices Socii, quoad in ipsis fuit, suppleverunt. Longum est enumerare quos Treviris, Molshemii, Fuldæ, Confluentibus, eodem anno furens pestilentia flamma in officio ipso caritatis hausit. Singulos videre est in proprio, qui de ipsis conscriptus exstat, commentario *. Quosdam ex hoc acervo duntaxat seligimus, ordinem annorum secuti. Primus occurrit P. Nicolaus Buryus, Belga, qui priusquam descenderet in arenam, totius vitæ confessionem instituit, vota coram Sociis instauravit, errorum veniam suppliciter poposcit, omniumque preces inixè flagitavit. Ita comparatus procedebat vicatim grandi cum cruce, omnes ad penitentiam lamentabili cohortans voce, & mortis ineluctabilis præsentis metu scelestissimorum duritiam animorum conterens. Egrotam mulierem hospes inhumanus ejecerat in vicum, quia morbus suspicionem pestilentia faciebat. Provolutam in luto Buryus offendit, cum sacram Eucharistiam deferret ægrotis. Nihil cunctatus, deposita sacra pyxide, allevat abjectam, & in lectum unde fuerat extrusa, refert. Prodit ferus miles, cujus ea domus erat, ac Patri male precatus, miseram iterum in vicum abjicit. Tum vero sacerdos intrepidus hostiam eximens sacra pyxide, militem hoc armatus telo, coram omnibus qui aderant, petit, ac victum supplicemque cogit in genua procidere, atque immanitatem agnoscere. Recepta est mulier, mutatus miles, & sacrosanctæ Eucharistia cultui deditissimus posthac vixit. Sic urbem diu noctuque concursans Buryus ægris & valentibus, corporibus juxta & animis præsto erat: cibos ipse destitutis omni auxilio parabat; ulcera detergebat, adhibebat medicamenta, humeris demum imposita cadavera, pius vespillo, tumulabat. Mortem expectatam, & quasi familiarem, lætus atque ovans excepit anno MDXCVII.

Biennio post insanabilis mali funesta labes Hispaniam pervasit. Mæstissima urbium facies; rupta omnia cognationis, affinitatis, & amicitia vincula; singulis à se invicem, ne contagio quotidiani usus inficerentur, distractis. Ibi enimvero familia religiosa Dominicanorum & Franciscanorum ostenderunt quanta sit vis divina caritatis, cum semel religiosi pectoribus inarset. Eorum secuti exempla Socii caput suum haud timide medium in discrimen obtulerunt. Jam spectatus in hac acie fuerat Hispali P. Petrus Ecixanus, quo etiam audacior in eam rediit. Abjecta cadavera & veneno liventi suffusa, quorum vel aspectum nemo sustinebat, suis sepeliebat manibus. Quin, voto se obstrinxerat, quamcumque provinciam partem calamitas communis invaderet, eò, ad sacramenta ministranda provolandi, si per suos præfides liceret. Voti exequendi potestatem mors abstulit, meritum non abstulit. Haud minor alacritas existit P. Martini Guerra, quam si adstrictus fuisset religione voti. Uno die plus centum animam agentibus unctionem supremam administravit; tanto visus tutior adversus impetum circumstantis mali, quanto sibi parebat minus. Mortem tandiu impunè lacescitam, ac morantem caritas acceleravit. Jacentis confessionem exceperat: rogavit æger ut à suo latere non discederet, seque morientem, ac tentatione gravi jactatum, confirmaret. Stetit diu generosus sacerdos in illa mephiti tetra, quæ putrido manabat è corpore, dulci alloquio & repetitis complexibus trepidantem erigens, quamvis interea vicini flammæ incendii sensim in sua viscera serpere animadverteret: quibus paulo post desagravit, lætus animâ vel unâ suo sic detrimento servatâ. Nequaquam deterruere ceteros hæc funera, Ludovicum Ruizium non ætas affecta & in senium vergens, non octo Socii Complutenses, nam hanc urbem amplissimam pestilentia falx horrendum in modum demessit, ante oculos ea succisi, retardarunt, quominus laboriosam in messem succederet. Religiosa perfectionis tanto studiosior semper existit, quanto suavius ac fortius ad eam fuerat jam inde ab ineunte ætate incitatus. Adolescens enim cum à Deo vocaretur in Societatem, & ipse ut admitteretur non segniter postularet, nihilominus

ob

15.
PP. Nicolaus
Buryus, Petrus
Ecixanus, Mar-
tinus Guerra, &
Ludovicus Rui-
zium.

* *Heroes, & vi-
tissime caritatis
Soc. JESU.*

ob levitatem & petulantiam, quæ vitia, vel per incuriam, vel per impotentiam indolis, non satis emendabat, repulsam semper tulerat. Sed ut se tanto dignum, bono præstaret, periculis & suis & alienis eruditus fuit. Intempesta nocte per urbem deambulans, in vigilum, qui lustrabant vicos, turmam incurrit. Dat se illico in pedes: sed in præcipiti fuga corruit, & solutâ fistulâ minoris ferreæ, quam gestabat, rotâ, expulsâ glandes aliquot plumbeæ jacentis vestes lacera- runt, ipso intacto. Rursus cum trajiceret fluvium, equo procumbente lapsus, vix ad ripam evasit. Denique nescio quid facinoris, per ultionis cupiditatem, meditans cum socio, illum in eodem secum lecto cubitantem, postridie mane mortuum deprehendit. Hoc vero fulmine percussus ad Societatem ita petendam convolvit, ut nullam periclitationem defugeret. Nec mollis adhibita est; per- que omnia experimenta, quibus spectari tironis indoles dubia potest, strenue circumductus, tandem adscitus domum probationis fuit, & inter adjuutores do- mesticæ rei, quamvis operam litteris dedisset, numeratus, id quod ipse infimis precibus flagitaverat. Anno MDLXVII. transmisit in Canarias insulas, cum ar- tefite Bartholomæo de Torres, & in imbuenda Christianis elementis puerorum schola triennium posuit. Reversus inde in Hispaniam, quod fuit reliquum vitæ impendit tutandis & vindicandis ab injuria collegiorum fortunis: in quo felix juxta & solers erat; interim servandarum animarum occasiones omnes captans: cujus generis plurimas illi Deus, servi sui fidelitatem expertus, sane graves, nec periculi minus quam gloriæ plenas, obtulit. Ætatem festam placide Com- pluti ad mortem comparabat, cum pestis ingruit civitati. Enimvero cessare ne- fas duxit in communi periculo: se sacerdotibus neci pulcræ devotis socium ad- didit, & acerbissimos cruciatus, corpore veluti frustatum dissecto ut pestis gliscens ferro compeferetur, invito animo diu toleravit.

16.

P. Georgius Ta-
vora cum plu-
ribus aliis, in
Hispania & Lu-
sitania.

Hunc ad similem coronam eodem anno MDXCIX. secuti sunt Legione sex rei domesticæ pariter adjuutores: è sacerdotibus verò pars domos lustrabant vici- tim, pars in templo considebant ad excipiendas pereuntium confessiones, qui concepta visceribus nece prorepebant in ædem sacram, & expiari divinis my- steriis, in ipso sæpe templi limine animam exhalabant, læti ac superis gratias agentes, quòd sibi hæc subsidia morientibus, tantamque medicorum celestium caritatem obtulissent. Et admirari profecto rectoris collegii generosum pectus licuit, qui communi prostratus malo, vixque tandem resurgens, ubi primu- niti pedibus potuit, pristina repetiit pericula, ægrum corpus, nondum penitus confirmata valetudine, baculo sustentans. Reliquis morbo graviter tentatis, ac ex eo demum recreatis, duos sacerdotes veluti pignerata mors est. Complures in Ovetensi collegio, dum inserviunt ægrotantibus, domum continuatis funeri- bus exhaurerunt. In iis P. Alphonfus Polancus multos jam annos egerat in So- cietate, parum instituti sui & perfectæ, cujus imposita nobis gravissima neces- sitas est, vitæ memor. Acre hominis ingenium, ferox, turbidum: cujusmodi ingenia familiæ nulli religiosæ, minime verò nostræ, sunt opportuna. Tole- raverant animum atrocem Societatis præpositi, ut filium laborantem optimi pa- rentes, ea spe, fore ut aliquando duram indolem virtus, aut ætas emolliret. Fa- ciebat hanc spem religiosæ vocationis amor, quem Alphonfus semper aluerat: ejus testificandi occasionem pestis dedit. Ut erat excelso animo & claro, turpe du- xit fugere: manendi & miseris succurrendi facultatem obtinuit. Ea vero sic usus est, tantam in laborioso ministerio patientiam & sedulitatem ostendit, ut omni- bus admirationi esset. Itaque facile adducor ut credam, si quid rubiginis negli- gentior vita contraxerat, illud igne caritatis & morte pretiosa decoctum felici- ter ac purgatum fuisse. Variis in urbibus Hispaniæ alii aliis velut succenturi- ati, forsiter pro incolumitate publica ceciderunt. Numantiæ, sex; toridem- Burgis; quinque Villagarcia: decem Lucronii. Novem tribus in urbibus, Segor- biæ, Vallisoleti, & Metinæ quam Campensem vocant, desiderati. Delata pestis in Lusitaniam cum importatis eò mercibus, stragem late sparsit. Quinquaginta hominum millia sustulisse dicitur Olisippone. Lecti sunt ex omni Sociorum nu- mero, periclitantibus auxilio futuri, septem Lusitani; & è variis nationibus tres qui

qui curam in suos populares dividerent: ceteris incolumibus, extincti sex. Non immunis publicæ cladis fuit Conimbrica. In iis qui malo succubere, celebratur P. Georgius Tavora Lusitanus, in quem illa vox egregiè conveniebat, quæ Christo primum est attributa, *Pertransit benefaciendo* *: siquidem idcirco vivere videbatur, idque unum curare, ut beneficii quidpiam in mortales ærumniferos conferret. Conimbricæ vicos & compita concursabat quotidie, nunc jacentes humi atollens, ac deportans in nosocomium; nunc inedia confectos reficiens oblato cibo; hic vestem nudis, illic mæstis solatium impertiens: diu noctuque experretus, & advolans ubicumque spes alienæ calamitatis levanda affulgeret. Nihil tamen ætæm putabat, nisi animam *daret pro dilectione* *. Contactam peste multitudinem unum in locum collegerat; nec tantum mentem & consilium tugiis ædificandis, sed manum etiam commodaverat, ligna cadens, materiam convehens, suam cuique assignans casam: locum ipsum Castra vocitabant. In his castris Tavora, tanquam imperator, summæ rerum præerat, ducis ac militis partes implens, ac necessaria præsidia omnibus tum agris, tum morientibus, prolixè suppeditans. Hinc illum tamen prodire identidem coegit vitiosus civium nonnullorum pudor, qui ne in hæc transire Castra compellerentur, dissimulabant morbum, & sacramentorum expertes, domi suæ miserè peribant. Illorum pudori nonnihil ratus indulgendum, ad eos ibat è suis Castris in urbem; ex urbe in Castra se referebat. Tribus inter ejusmodi labores mensibus exactis, coronam est adeptus longe illa potiorem, quâ olim propter servatos cives donari virtus Romanâ consueverat.

* *Act. c. 10.*

* *Cantic. 3.*

Ne plures è Sociis Conimbricensibus incendium pestilens consumeret, singulari Deiparæ beneficio effectum est, cujus fidei ac tutelæ collegium rector commendaverat, pollicitus voto rite concepto, futurum ut certus dies deinceps illi præcipuè facer ageretur in collegio, & ad publicum epulum pauperes promiscuè adhiberentur. Hujus voti fiducia, hoc Virginis patrocinio freti, nullum periculi, nullum laboris genus defugiebant. Præter obsonia, & medicamenta, quæ peste tactis parabantur, egentium turbam, quæ vulgo circiter septingentorum erat, alebant quotidie; nec dandi facultas voluntati defuit: adeo dives caritas est!

17.
B. Virginis,
S. Sebastiani, &
S. Ignatii præfens tutela in peste. Alia quedam humana remedia.

Vim quoque salutarem, nec frustra in grassantibus publicè morbis implorari solitam, ostendit D. Sebastianus, præsertim Ebersbergæ in Bavaria, ubi ejus asservatur caput. Populabat vicinum pagum pestilentia dirus furor tam atrociter, ut præconis voce accolis omnibus interclusus ejus aditus foret. Propinqua pago erat ades D. Sebastiani, ad collegium Monachiense pertinens. In eam quicumque ad divina sacramenta usurpanda convenerunt, non modo ipsis, sed etiam eorum omni familia, sanitas & vita consistit. Hujus miraculi vulgata fama tantam excivit undique mortalium multitudinem, ut agrum circumjectum latè completeret. Oblatam opportunitatem Socii Monachienfes ad salutem etiam animabus afferendam contulerunt, ea cautione adhibita, ne quis, nisi onere peccatorum apud sacerdotem deposito, discederet. Sancti quoque Ignatii patrocinium sensit Alfonso Seidatus, litterarum magister Brunæ. Cum bacchari pestis inciperet, extantatus, & à ceterorum consortio segregatus fuerat: febris acerrima torrebat æstuantem artus, capitis gravissimus dolor somnum procul expulerat: adhæc vaga deliræ mentis erratio, nausea, ceterique pestilentia comites; spem prope omnem servandi adolescentis ademerant. Oblatam S. Ignatii carissimi parentis imaginem veneratus, osculo salutari morbum planè discussit. Eandem inesse vim Sancti Patris chirographo sensit Brigantia P. Consalvus Paiva, qui collectum in obsequio peste contactorum exitialem carbunculum non alio remedio extrinxit: eoque uno chirographo munitus, media inter venena impune volitabat.

Nihilominus ita Socii ad preces & remedia divina confugiebant, ut humana non respuerent. Inter cetera, quæ tunc usus probavit, frequentatum illud fuisse video, ut qui ad agrotos accedebant, facem accensam præferrent: sic aeris vitium purgari observatum est. Cum vero in insula S. Michaelis homines passim conciderent exanimati, Patres, ut obviam irent glifcenti malo, ejus fontes observare conati sunt, inopiam & famem. Alimenti quippe corruptis, aut malignè

ac parcè sumptis, stomachus depravatur; hinc olentes animæ, putresque halitus, quibus vitiatur aer; at inopia uno in loco non patitur egentes consistere, quæ prima tamen cautio ad arcendam contagionem esse debet. Quamobrem adierunt Socii magistratum, & periculi gravitate demonstrata, remedii facilitatem docuerunt. Auditi sunt: provisa egentibus annona, ægri commercio valentium prohibiti: depulsumque brevi periculum sapienti consilio fuit. Idem in aliis Hispaniæ locis usurpatum. Alendorum famelicorum cura Sociis Placentinis publicè data est. Primum omnium palam edicendum curaverunt, ne quis urbem concurreret mendicando: aream deinde collegii tria in septa cancellis clausa divisere: pars una viros excipiebat; altera feminas; pueros tertia. Ibi statà quotidie horà, post recitatam precationem, omnibus certa panis carniisque portio erogabatur. Convenere principio fermè nongenti; ad duo millia postmodum numerus excrevit. Nec omisi fuerunt honestiore loco nati, quos verecundia, ne in promiscuam venirent turbam detinebat. Certatum inter oppidanos, huius exemplo caritatis excitatos, tribus totis mensibus fuit, cum alios alii benignitate superare contenderent: ac statim est repensà divinitus merces, Placentia enim, dum conflagrabant aliæ urbes igne pestifero, majori quàm unquam aliàs salubritate fruebatur. Consecuta est æstas, horrea capiendæ messi defuerunt. Sic vincitur quisquis cum Deo liberalitate certat. Brigantiæ paulo serius ingravescenti malo consultum est à civibus. Difficiliorem in dies annonam faciebat infinita prope hominum multitudo steriles agros coacta deserere. Miserabilem turbam arcere mœnibus, aut illapsam extrudere, magistratus decreverant. Patres, quibus immane consilium innotuerat, aliam publicæ rei sublevandæ proposuerunt viam; nempe ut iniretur famelicorum numerus; deinde civibus copiosis, prout cuiusque facultates ferrent, bini, terni, aut plures assignarentur, quos domi educarent, donec malum remitteret. Ipsimet in collegium accepere quadraginta, liberaliterque totis tribus mensibus aluerunt. Exemplum secuta civitas est: sed paulo tardius. Jam enim pauperum in urbe, ac præsertim victorum in carceribus ingens numerus fame perierat, nulla sacramentorum ope munitus; plerique inter eos inventi, quorum adhuc spirantium os, nares, & aurículas immundi mures aroserant. Quod ubi compertum Patribus fuit, egerunt cum antistite, ut, quoniam carcerum custodibus (durum quippe genus & immisericors) malè credebatur, sacerdoti daretur negotium obeundi ergastula certis diebus, & animarum saltem, periculis tempestivè providendi.

Ut mature occurrerent venienti malo admoniti complurium annorum experientia Nolani videbantur. In circumjectis urbi agris anno MDC. putei ad rigandos campos fuerant à rusticis effossi. Ex istis puteis, & hiante passim humo magna repente vis aquarum erupit, ac planitiem primùm, deinde ipsam urbem Nolam opplevit; totamque sepelisset, nisi excavatà subito ingenti fossâ, in fluvium aquæ fuissent derivatæ. Trepidus præsentis calamitate cives gravior agebat metus; vetustis enim monumentis proditum habebatur, nonagesimo quoque anno cladem ejusmodi solitam obtingere, ac pestilentiam eluvioni succedere: legebanturque cippo insculptæ voces: *Cum verum diluivum in agris tuis, Nolane, videris; mors, mora; vita, fuga erit.* Tristem veteri dicto fidem eventus fecit. Stagnantes limo & uligine fetida campi, æstu intabuerunt. Hinc tetter vapor, quo infectus aer pestem corporibus afflavit. Statim in urbe solitudo, vastitas, fuga, Relicti tantum, quibus fugam egestas aut morbus præcludebat: qui ne penitus destituerentur, mansere tres è nostris sacerdotes, & subsidio venire Socii Neapolitani. Primus omnium collegii Nolani rector, dum suis exemplo præit, ac se inopi turbæ audacter immiscet, pestifero ictus telo cecidit. Hunc duo insecuti, mortem naturæ debitam commendatione caritatis honestarunt. Alios quosdam, licet morbo tentatos, passa est revalescere languescens paulatim pestilentia, quæ brevi penitus abiit. Eadem sedebat in Hispania pertinax, & Granatam præcipuè depascebat. Occaluerant cives, & vitæ mortalis retinendæ solitudinem deposuisse, nonnulli etiam immortalis & sempiternæ studium abjecisse videbantur. Dum populo utramque conservare Socii nituntur, mortalem ex iis non-

18.

Nolanus ager
peste infectus.
Sociorum caritas.

nonnulli amifere, immortalẽ adepturi. Sequentem annum in eadem palæstra caritatis supremum habuit P. Antonius Cordefius, Catalanus. In Societatem cooptatus fuerat anno MDXLV. cùm ætatis annos sex & viginti numeraret. Inimicum, à quo ad necem quærebatur, fugiens, venerat Barcinonem, quo tempore * in eandem urbem recens accesserat à S. Ignatio missi PP. Antonius Araozius & Jacobus de Eguia. Cùm illi civitatem Apostolicis concionibus, in primis verò piarum meditationum inducõto usu, totam excolerent, discipulum se ipsis Cordefius, ac sodalem etiam imitoremque, si admittere se non gravarentur, obtulit. Admissus tirocinium posuit sub eodem P. Araozio, à quo tironis virtus per omnes periculationum formas non molliter deducta, illi ipsi magistro movit admirationem. Franciscus Borgia Gandiæ Dux, Cataloniae tunc Prorex, collegium Societatis Gandiæ condiderat. In eo Cordefius cùm theologiae daret operam, dotes adeo luculentas ad alios gubernandos præ se tulit, ut P. Andreas Oviedus, qui deinde Patriarcha Æthiopiae renunciatus est, percontanti S. Ignatio quem maxime idoneum collegio Gandiæ regendo crederet, Cordefium, necdum sacerdotem, nominaverit. Oviedi iudicium res ipsa deinde comprobavit. Nostris enim per annos amplius quadraginta Cordefius præfuit: provinciam Aragoniae duodecim annis rexit; Toletanæ sex; domum Professorum Hispalensem duodecim: reliquis annis Vifitatoris aut Rectoris munus gessit.

Philosophiam ac Theologiam Gandiæ cum doceret, nec suppetere in illa Sociorum adhuc paucitate, qui rei domesticæ gererent curam, hanc sponte suscepit, obsonator idem, procurator, & coquus. Pergebat à schola theologica in macellum, à macello in opificum, quibuscum aliquid intercedebat negotii, tabernas; inde in suggestum, ad concionem; aut in plateas & compita, ad Christianam doctrinam rudibus explicandam. Hanc pueros & plebem infimam erudiendi sedulitatem constantissimè tenuit, ubicumque degeret. Domi vero nullum officii vel ministerii genus vile ducebat, aut parum dignitati suæ, etiam cum præfset aliis, consentaneum; neque opera cujusquam utebatur ulla in re, quam obire per se posset. Quod erat deterrimum, quod difficillimum, fumebat sibi: cumque vacuum doctore grammaticæ scholam in provincia Toletanæ, quam lustrabat, collegio reperisset, ipse in hunc literarium ludum se inclusit, donec magistrum illi præficiendum curaret. Conciliabat sibi hac demissione atque caritate omnium animos, & eos quocumque vellet inclinaabat: ubique solitus excipi communi lætitia, nec sine lacrymis dimitti. Patrem in illo sentiebant scilicet: adeo nihil præferebat imperiosum in vultu vel sermone; nihil male suspiciosum; nihil non blandum & obvium: coelestem illam Sapientiæ divinæ vocem attente reputans: *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis* *.

A nonnullis, qui unâ cum illo multis annis in eadem domo versati sunt, nunquam observatus est quidquam animo iniquo ferre; non indignari, non stomachari, ac ne vocem quidem attollere. Aliquando à prædonibus male multatus & spoliatus; aliàs excussus jumento & conculcatus, cum jaceret tibiâ confraçtâ, plusque ipsa deinde tot vulnerum curatio, quàm ipsa vulnera, doloris atque incommodi afferret; nihilominus ore hilari perstabat, gratias agens Deo, à quo hæc immitti persuasum haberet, cujus in sinu & familiaritate intima conquiescebat. Hanc in arcem dum se recipiunt Sancti, telis, ut ita dicam, vitæ mortalis non patent. Eò si quid intercurret adversi, Cordefius evolabat, orationis continuæ pennis sublatas. Altera fere post mediam noctem hora se proripiebat è strato ad precandum, ducebatque meditationem in tres horas immotus; & sæpe coelesti circumfusus luce; nonnunquam Christi ac Deiparæ conspectu dignatus. Orandi studium nostris impensè commendabat, nec facilè quemquam patiebatur prodire domo, vel cubiculo abesse, per consuetam matutinæ meditationis horam. Ceterum illud identidem affirmabat, hanc Deo familiariter utendi facilitatem non comparari nisi vincendis frangendisque cupiditatibus, sensibus coercendis, corpore castigando. Quod ipse cum esset expertus, nullum faciebat finem sui pie divexandi; & flagellis, ciliciis, jejunio, æstu, siti, omnibusque incommodis carnem subigendi: cujus quasi mole terrena liber spiritus

19.
P. Antonii Cordefii vita variis ornata virtutibus; mors in peste laborantium obsequio quaesita.

* Anno 1542.

* Ecclesiast. c. 32.

* Luc. 23.

& expeditus in amplexum Numinis sua sponte profliret. Inde haustos ignes ad salutem animarum procurandam afferens, nullam sinebat elabi sibi occasionem quoslibet commonendi, erudiendi, & inflammandi ad pietatem. In itineribus, quæ illi obeunda crebro erant, posteaquam rem divinam fecerat, si numerosior aliquanto plebs convenisset, præsertim rusticana, orationem habebat ex tempore, ardoris plenam; qua percussis *revertebantur percutientes pectora sua*, vel ad ejus abjecti pedes crimina salutaribus lacrymis eluebant. Quidquid ab imposito munere vacabat otii, conferebat ad excipiendas confessiones: id quod facere perrexit senio debilitatus, & gubernandi solutus onere; in sacro tribunali assidens mane; pomeridianis horis urbem, xenodochia, & carcères, lustrans; miserofque mortales verbis prolixè; re, ut erat copia, singulos adjuvans. Nam in egenos liberalis, cum præset, erat, ac pane prodigus; si tamen ea voce uti fas est, ubi recipitur cum fenore, quidquid erogatur. Id enimvero sensit quo tempore Hispalensem Professorum regebat domum. Eam offendit oppressam grandi ære alieno: ad hæc Indicæ naves peregrinis onustæ mercibus, quibus oppidum ditescere, perierant: cives plerique, amissis fortunis, olim in alios liberales, ex aliena liberalitate pendebant. Cordeus certissimum esse credidit domesticæ inopiæ sublevandæ remedium, si multum daret. Itaque janitori mandat ut nemini petenti neget. Quo plus largiebatur, eo plus abundabat. Aliquando nobili matronæ, sibi ac filiis suis fame confectis opem imploranti, partem haud modicam paratæ cenæ ferri iussit, ac reversus in cubiculum, trecentos aureos nummos in mensula numeratos reperit. Pia vero multorum liberalitate non modo æs alienum, quo domus laborabat, dissolvit; sed etiam magnam ædibus adjunxit accessionem; variis templum ornamentis auxit; exstruxit domum Probationis; familiam ingentem octoginta fere capitum percommode aluit; omnibus, quos inopiâ premebat, largè consuluit. Audiant hoc religiosarum familiarum præfides, quorum angusta nonnunquam & pusilla mens non capit amplitudinem illius Dominicæ sententiæ: *Beatius est magis dare, quam accipere.**

* Actor. 20.

Tam eximiæ caritati restabat unum, ut se daret: dedit. Gravissima per annum MDCL. pestis Hispaniam depopulata, Hispalim, ubi degebat, corripuit immanitate tanta, ut paucis mensibus hominum triginta millia consumpserit. Non sibi temperavit Cordeus, quin egregiam deposceret provinciam, quamvis annum ageret octogesimum tertium, vixque moliri gradum, senio tardante, posset. Instanti concessum fuit ut sederet in templo, audiendis, qui peccata confiterentur, agris: quorum pestifer halitus victum brevi, seu potius victorem oppellit XVII. Kal. Jun. Hujus præclaræ mortis præmio dignum se jam præbuerat Gaudia, cum ante paucos annos ibi pestilentia deserviret. Sociis per urbem late sparsis, nullum ipse sibi delegerat locum, ut ubique adesset. Vicos pro more obeuntium lacrymabilis pueri gemitus ad aures accidit. Domum, unde vox oriebatur, obseratam cernens, per fenestram assilit; videt infantem peste tactam, cuius ad latera mortui pater & mater jacebant. Tollit parvulam ovem in humeros, & in feminæ prætereuntis, ac filiolum lactantis, sinu reponit, orans ut etiam hanc educaret. Cohorruit mulier, & Egone, inquit, alere istam possim? Quid vir meus dicet, cum hanc pestem ædibus nostris inferam? Cui Pater, arcano instinctu motus, & puellam brevi salvam, & universam ipsius familiam incolamem, si hanc reciperet, fore promisit. Promissa cœlum sanxit. His virtutibus ac prodigiis tantam populi venerationem collegerat, ut in publicum prodenti certatim obvii procurerent, obsecrantes ut bene ipsis precaretur, & osculandam præberet manum: quod quia illius modestia respuebat, concurrebant in templum quoties operabatur, solennem, qua sacerdos populo benedicit, formulam & evangelium ab eo legendum, audituri. Affirmarunt, quibus intimè noxus erat, illum acceptam in ortu integritatem corporis animique, ad extremum usque spiritum conservasse. Neque immunis tamen pugna ac periculi fuit: nec paucos hostes in ejus exitium, an potius triumphum? armavit animarum predo. Nunquam desunt Sanctis ejusmodi pugna, ut nunquam desint victoria. Neque vero expectant ipsi dum descendant in arenam, & adversarius arma inferat; prævertunt

tunt longè, seque ad certamen accurata constantique armorum tractatione comparant: in otio veluti atque umbra vincere condiscunt, præsertim seipfos; sapienter existimantes, domitis cupiditatibus, & lascivia carnis frenata, negotii nihil cum hostibus externis, aut parum fore.

Hoc in genere belli excelluit virtus P. Antonii Sanchis, Hispani, jam inde ab ipso tirocinio, a quo initium daxit longi certaminis, nempe producti usque ad annum vitæ LIX. neque unquam intermissi. Admiratus magister tironum ejus in se vexando inclementiam, quæsit quid hoc esset. Cui Antonius, se jumentum esse pigrum respondit, urgendum stimulo & verberibus. Accrevit cum ætate odium sui; crevere verbera, quorum grando immanis tantâ copiâ depluebat in macilentos artus, jejuniisque confectos, ut ictibus repetitis tota vicinia circumsonaret. Cum operam navabat coquo tergendis culinæ vasibus (navabat autem frequens) manus & cubitos aquæ æstuanti immergebat; ac rogitantibus quo pacto perferre vim caloris tantam posset: Hem, inquebat ingemiscens, rogate potius quo pacto sim laturus *ardores sempiternos*. Aliàs, brachiis supponens ardentem faculam, se increpitabat his verbis, Urere, immunda sus, urere. Ad parcissimum vilissimumque cibum meram adhibebat frigidam; instantibusque ut valetudini consuleret, nec paulum vini, quo dilueretur aqua, fugeret, retulit: Canem hunc, licet malignè pastum, vix teno; quid futurum est, si liberaliter & lautè pascam? Haud segnius honoris comprimebat cupiditatem, id sedulo agens ut vilis homuncio, ac nullius pretii haberetur: natalium humilitatem crebris usurpabat sermonibus; plebeis ac sumptis è trivio comparationibus utebatur; itinera consciebat pedes, & onustus sarcinula: contumeliis & ærumnis fruebatur. Ibat, uno impulsus majorum nutu, ac redibat quo vellent: multa, vel nihil, agebat: ita ut vulgo nuncuparetur *homo judicii* (proprii scilicet ac privati) *expers*. Ita fere accidit, ut quo quis sibi est infensor, eo majori caritate flagret erga proximos; inde enim frigemus in alienis commodis consecrandis, quia nimium ardemus in nostris. Procurrebat identidem in vias Antonius, si quos nancisceretur ad pœnitentiam adducendos: bene mane præsto erat in templo, ad idem munus: interdum adstabat pro foribus, antelucanos opifices & agrestem turbam operiens: reliquum diem hærebat affixus sacro Pœnitentiæ tribunali, nisi quod aliquando assurgens, ad confertam circâ multitudinem verba pauca, sed ex intimo pietatis affectu deprompta, faciebat. Nullum sine quopiam in mortales beneficio, tanquam sine sua linea, diem abire patiebatur: negabatque, se latum ad mensam posse accumbere, quo die nihil in quemquam beneficii contulisset. Missiones aiebat esse *partem optimam* Societatis: cumque in illis è diuturno labore collegisset morbum, hortanti socio ut paulisper contentionem remitteret. Itane, inquit, mercatores lucri causâ vitam sexcentis quotidie periculis objicient; nos, ut animas cœlo asseramus, parcemus labori, ac lenti residetque cessabimus? Dictis addidit facta, Xeram, civitatem Baticæ, pestis populabatur. Sacerdotem illa Societatis expetiit. Nihil cunctatus Sanches dat se in viam, præclare secum agi clamitans, quòd liceret sibi tot annorum, quos in Societate per ignaviam traduxerat, damna brevi mortis compendio, si Superis videretur, vel sarcire vel punire. Ut urbem attigit, rectâ se contulit in nosocomium, & civibus afflictis opem ferre perseveravit, donec letali carbunculo deustus interiit XIV. Kal. Maias MDCL.

Sevam quoque stragem Cordubæ eodem anno MDCL. pestis dedit. Bini de Sociis quotidie obibant urbem, & quanta maxima poterant contentione vocis, ut undique exaudirentur, sciscitabantur num cui opus confessatio foret. Qua providentiâ factum, nemo ut sine pœnitentiæ sacramento è vita discederet. P. Gilbertus Bernardus Harlemonis, impositas ab obedientia partes adjuvandi peste contactos, morte ipsa, quam traxit ab iisdem, explevit. Admirationi fuit viri caritas, cum ad Rhenum progressus jacentem in ripa juvenem semianimem offendit, humerisque impositum deportavit, spectante populo, in nosocomium, ubi expiatum & sacro Viatico munitum composuit. Rursus, cum ipse jam exitiali morbo appetitus langueret, admonitus de civis periculo, qui opem ipsius nominatim

20.

P. Antonius Sanchez vitam in eodem caritatis officio profundit.

21.

Plerique alii eadem in arena victores & victi.

rim implorabat, ad eum perreptavit sublatus inter gestantium manus, ac supremo sacramentorum praesidio morientem moriens confirmavit. Sic vivere viros fortes decet, sic mori. Atrebatum autumnus gravis anno MDCIX. vexavit, ac defavit funera. Inter Socios qui ad incendium restinguendum convolarunt, enituit alacritas Petri Brocquevilli, adjutoris domestici. Arduum peste infectis ministrandi munus enixè petierat, illique est immortalis. Putrida cadavera ludibundus tractabat, nec dubitasset ulcera lambere, ac faniem pestiferam exsurgere, ut ipse affirmabat. Sanè, dum viveret, labore pasci videbatur. Interior illis vestis cilicium; cibus, panis aridus; potus, frigida; eaque vino, nisi obedientia praeciperet, nunquam temperata: id quod interposita voti religione, tandiu dum licuit per moderatores, tenuit. Vagata per Germaniam anno MDCXI. lues plurimas vastavit urbes. Majorem Constantiae intulit cladem. Scholis filere coactis, eorum magistri, cum reliquis Patribus senio vel morbo fractis, aliò demigrarunt. Novem sacerdotes cum sex domesticis adjutoribus remanere.

Prælucebat reliquis P. Jacobus Strizius Constantiensis, dumque caritati, quâ flagrabat, indulget oblitus modi, gemino consumptus incendio caritatis & pestis, post diem duodecimum, quàm gloriosum stadium ingressus erat, vitæ metam feliciter attigit XIV. Kal. Sextiles. Septemdecim duntaxat annos peregerat in Societate, sed plenos; quales Sanctorum esse dies sacrae paginae testantur*. Eminent viri animus in iis litteris, quas ad collegii rectorem dedit cum vitiosus acer primos incuteret metus. *Quin possum, inquit, pluribus adesse locis, & ubicumque hac habitur pestilentia, vivere, vel millies mori! Sic habeto, mi Pater, nullum esse mortis genus, nullum periculum, quod non alacer triumphansque subeam. Id vero ponam in maximi beneficii loco, nec me fecisse tamen quidpiam magnum arbitrabor. Hac scilicet militia nostra vocationisque conditio est: hac Societatis tessera, nulli proximorum calamitati deesse. Neque vero nos aliter aut sentire aut facere, tot exempla domestica patiuntur. Obversatur interdum menti mea gemina fors mortis valde diversa: altera inter nostrorum dulces complexus, & pia religiose familiae obsequia: altera, inter putridos peste laborantium anhelitus, in summa humanorum commodorum & solationum inopia. Dubius haereo utram alteri praefereendam purem, nisi quod hac (fatebor enim) aridit mihi suavius. Hanc deposito sortem: hac spe incensus ad volo quocumque praesentioris periculi terror vocat. Tandiu male vixi, restat saltem ut bene mori contendam, & hoc qualicumque vita mea sacrificio tot annorum delicta compensem. Ah! saltem semel Deo me reddam, cui me totum tot nominibus debeo!*

Incidit etiam in meas manus epistola P. Castuli Agricolaë Bavari, cujus patrem hic intexere lubet, unde generosa mentis fortitudinem heroicam perspicere quivis possit. Sic scribebat ad collegii praesidem. *Quod significas nequaquam te commissurum fuisse, ut nos in periculum adeo manifestum conjiceres, si exploratus tibi civitatis fuisset status: hoc te morore & cura liberatum, Reverendè Pater, volumus. Non hominum nutu, sed Dei, venimus, cujus in manibus ac tutela sumus, ubicumque tandem simus. Ecquid autem damni, quid mali accidere nobis potest, si Deo propitio vivimus, si amico; si volente morimur? Quidquid inest acerbitatis in morte, mitigatur fide, spe lenitur, caritate dulcescit. Illud quidem ego profiteri vere possum, liquidiores ingestas mihi de caelo voluptates in hoc turbulento & periculoso negotio, quàm in placido securi cubiculi otio. Ceterum anxiam de nobis sollicitudinem, quaeso, mitte. Animas, corpora, necem, vitam, nos totos, in amantissimi Numinis sinum projecimus. In eo læti lubentesque acquiescimus. Iam inter nos provisum est, quo alter alterum modo, quibus verbis ac precibus, ægrum aut morientem consoletur & adjuvet. Quod verbis tam splendide promittebat P. Castulus, hoc ipsa re praestitit, cum Socius quatuor extinctus Constantiae. Cum vero continuata funera collegium ferè exinanivissent, magistratus oravit paucos superstites ut parcerent sibi, seque civibus sanis reservarent. Id ab illis exorari omnino non potuit. Eos tamen incolumes divina servavit bonitas, concepto per rectorem voto. Implorata similiter ope Superùm, in triplici supplicatione, civitas respiravit.*

In fœda reliquarum urbium per Germaniam clade, non minor animus nostrorum, nec levior jactura, vel potius lucrum, fuit. Ceteris omnis, unum alterumve

* Dies pleni inveniuntur in eis. Psal. 72.

rumve nominabo. P. Joannes Zehenderus, Suevus, ex hoste religionis, ejus defensor acerrimus; & Jesuita ex hæretico fuit. Quemadmodum ad catholicam Fidem, ac deinde ad Societatem accesserit, tam longè ab utraque disjunctus, operæpretium est cognoscere. Jacobus, marchio Durlacensis, Princeps è Badensi familia, Lutheranum ab institutione domestica venenum combiberat. Ubi lux affulsit ab atate major, veritatem investigare, ac partis utriusque doctores audire constituit. Utebatur medico ingenioso & erudito, Joanne Pistorio, cujus spectata prudentiæ consiliisque multum tribuebat. Hunc hæresis inveterato morbo laborantem nostrorum hominum sanaverat cura. Eminebat in agmine Lutheranorum Andreas Smidelinus, collecta dudum opinione doctrinæ clarus. Cum eo Pistorium ardebat committere Durlacensis: at Smidelinus pugnam cum discipulo Hippocratis & Galeni detrectans, ita se certaturum spondit, si daretur sibi adversarius quispiam è Societate theologus, quem vincere cum dignitate posset. Accepta conditio. Processit è collegio Molseimensi P. Theodorus Busæus.

Badam certaturi convenerunt, quò ingens numerus præcipuæ nobilitatis confluit. Smidelinum multis vulneribus in acri prælio acceptis debilitatum sustentare incassum conati sunt Erebrandus, & Gerlachius, Lutherani exercitus duces fortissimi: atque adeo Joannes Zehenderus, qui licet annos tantum sex & viginti numeraret, ingenio tamen & partium studio nihil emeritis ducibus concedens, inter antesignanos novi Evangelii gladiatores elucebat. Is labantem Smidelinum (qui paulo post obiit, credo rei malè gestæ pudore) diu protexit, dumque intorta jacula summa vi ab eo repellit, ipse salutari percussus est plaga, & rupto velut apostemate, toxicum hæreseos, pectore conceptum effudit. Redintegratâ diebus aliquot interjectis pugna, Zehenderus etiam adfuit, sed ab illo qui erat antea, plane mutatus; ex hæretico catholicus; ut continuo apparuit, cum arma contra Lutherum, jam non suum, vertit. Desertorem conclamat acies inimica: illum primarum cohortium ductores ad certamen deposcunt. Rogatur Princeps ut esse prælii arbiter, & victoriæ de feroculo milite reportandæ testis, velit. Concurrunt Lutheranis è castris centuriones undeviginti, flos veteranæ militiæ. Ducebat agmen Joannes Pappus, Argentinesium primipilus. Dimicatum est toto quadriduo. Pappus cum suis a Zehendero profligatus, diludia, veterum gladiatorum instituto poposcit; ac trimestre spatium, ut respiraret, obtinuit.

Sed Marchio * eventum pugne considerans, ubi robur veritatis esset cognovit, & accessit P. Theodoro Busæo, plenius eruditus, partes male fultas deseruit; neque contentus ad catholicorum signa convolasse, regionem suam impiorum missione purgavit: exilio constituto, si quis Luthero militare pergeret. Nec ita multo post, omnibus præfidiis, quæ morientibus Ecclesia Christi subministrat, munitus diem supremum piè clausit: eo nomine memorabilis, quod primus Lutheranorum Principum, ut perhibent, ad vetera & vera sacra redierit.

Clarus hac Pappi clade Zehenderus magnam hæreticorum invidiam subiit; cumque ad Principis Durlacensis, absque liberis extincti, fratrem Calvino additissimum, hereditas ac principatus devenisset; Zehenderus in familiam & clientelam Austriaci Cardinalis Andrea, Episcopi Constantiensis, se contulit. Inde Romam delatus, ut divinæ scientiæ daret operam, è collegio Germanico transfuit in Societatem. Statim ex umbraculis theologis in solem & aciem prodit: nunc oblatos hostes amice excipiens: nunc ubique conquistos ad certamen provocans: modo irruens in confertos: modo singulos lacessens. Sic damna, quondam animabus, cum doceret errorem, illata sarcire satagebat. Huic studio hæreticæ pravitate debellandæ aliud adjunxerat, sublevandi calamitosos quibuscumque rebus posset. Diurnam & nocturnam ægrorum curam & custodiam domi forisque, velut jure quodam suo, deposcebat. Supplicio publicè plectendos comitabatur, & ad irrogatam mortem forti & Christiano animo tolerandam accendebar. In juvandis autem peste contactis amabat se impensus, & quodammodo placebat sibi. Nulla tam funesta casa, quò non perumperet; nemo tam teret & horridus, quem non suavissime complecteretur; nullus tam occultus, & morbi dissimulato pertinax, quem non vestigaret. His virtutibus salutem multis; sibi

ma-

22.
P. Joannes Zehenderus ex hæretico catholicus, è catholico Jesuita, mortem præmium caritatis accipit.

*Vide Lib. X. b. u. jus V. part. nu. 110, 112.

magnum apud Viennenses, & in tota Germania, nomen integerrimi sanctissimi-
que viri peperit. Duodeviginti stipendia fecerat in Societate, cum ad laborum
præmia evocatus est VII. Kal. Octobr. Viennæ, an. MDCXIII.

23.
PP. Marcus An-
tonius Solda-
nus: Dominicus
Valesius: &
Joannes Bapti-
sta Rufus.

Pragæ, jussis eodem anno valere alumnis scholarum & magistris, sacerdotum
certa pars ad publicam utilitatem fuit morti devota. Hanc devotionem in se uno,
sospitibus ceteris, convictam commissamque esse latatus est P. Marcus Antonius
Soldanus, Italus, vir egregius & optimè de suis popularibus, qui Pragæ nego-
tiationis causa versabantur, meritis, quorum in gratiam sodalium ornatissimum,
cum nosocomio, condiderat. Haud minor ejus in Pragensibus adjuvandis cura,
& caritas. Nullo furentis pestilentia metu deterritus quominus alienum pericu-
lum redimeret suo; dum alios servare studet, se ipsum feliciter ac sanctè perdi-
dit. Paucis ante occasum diebus, qui incidit in IX. Kal. Decembr. Sancti Igna-
tius & Xaverius illi se spectandos obtulisse memorantur, fulgentis Sociorum cœli-
tum cincti choro, & vitam hanc meliori propediem mutandam nunciasse.

P. Dominicus Valesius opem ferebat peste infectis in urbe Silesiorum Nissa,
cum ipse quoque communè correptus est morbo. Patria illi Forolivium; ætas
annorum quatuor & triginta; virtus non vulgaris: quam ut consequeretur, co-
natus erat in primis inculpere sibi penitus in animo excellentem religiosæ per-
fectionis imaginem, ad quam velut ad normam suos mores exigeret. Hoc præ-
cipuè studebat ut liberum ab omni non solum perturbato, sed minus quieto af-
fectu animum teneret; præsentibus acquiesceret, futura divinæ committeret pro-
videntiæ; omnia susque deque, si nihil ad beatam juvarent æternitatem, habe-
ret. Quo etiam pertinere censebat, ut nimia vitaretur anxietas ob leviora deli-
cta, quæ humana fragilitas cavere universa nequit. Itaque conciliato perpen-
tentiam & humilitatem Numine, referebat se ad pristinam tranquillitatem, & ami-
citiâ divinâ impensius fovendâ augendâque, damnum acceptum sarcire conaba-
tur. Jam, ut eandem cum hominibus aleret pacem, sic temperabat ab omni
alienarum actionum reprehensione & censura; ut de aliis nec loqui sustineret un-
quam, nec audire, quod cum illorum non esset laude conjunctum. Si qua autem
disceptatio coariretur ipso præsentem, hærebat tacitus, & quodammodo medius, ac
neutrâ in partem inclinare se demonstrabat. Nihil questus unquam est, aut ex-
cusavit, si facta sua dictave nonnulli minus benigne interpretarentur. Et vero
existimabat id religiosi cujusque viri vorum esse oportere, ut citra suam culpam
contemptui atque neglectui; imo, si fieri absque injuria Dei posset, etiam odio
cunctis esset. Ipse quidem se se odio capitali prosequi videbatur, ita omnes male
de se merendi occasiones captabat: in hac re una rectoribus animi sui molestus,
quod eos obtunderet, novo semper aliquo cruciatu flagitando. Viri sancti ac per-
fecti nomen communi suffragio adeptus, publicam opinionem vita moribusque
confirmavit. Illapsam visceribus pestem sentiens concessit Crumlovium, ubi ter-
tia quàm venerat luce, V. Idus Junias anni MDCXV. sacris instructus mysteriis
vivere desit, annis septemdecim in Societate transactis.

Adjungi P. Dominico Valesio jure potest P. Joannes Baptista Rufus Italus;
Firmi natus, in Piceno; mortuus Chuquisacæ, in Peruvia, eodem quo P. Valesius
anno. Romæ adjunctus fuerat Societati: cumque frequens de Sociorum Iudicis
laboribus audiret, subiit imitandi cupido. Igitur in Peruviam missus literarum
ludum primus Arequipæ & Quiti aperuit, interpositis identidem concionibus ad
populum, quibus deinde plurimum valuit, & nomen præclarum concionatoris
Apostolici consecutus est. Publica vitia infectabatur evangelica libertate, neque
cunctabatur dicere quidquid in rem animarum esset: humana scilicet omnia præ Deo
ejusque honore nihili ducens. Hinc illi magna apud omnes auctoritas, & opinio
sanctimonix præcipua. In ejus virtutibus eminebat studium succurrendi miseris
& pauperibus, qui eo extincto ademptum sibi tutorem parentemque clamitarunt.
Opulentis aiebat præsto esse satis multos, qui gererent eorum curam: providen-
dum esse ne tenuioribus præsidia necessaria decissent; crebroque usurpabat vo-
cem illam Christi, *Sinite parvulos venire ad me* *. Alii quidam è nostris in
eadem America, & reliquis Orbis partibus eodem caritatis præmio & gloriosa
morte

* Matth. 19.

morte donati sunt, quos suis locis memorabimus: nunc res in Europa gestas, nisi quid aliud obiter narrationis cursus suadet, prosequimur. Ac ne iis quidem, quorum mortem caritas alienæ studiosior vitæ, quam suæ, in Europa illustravit, enumerandis par esse brevitatis hujus libri potest. Omnibus universè laudem hanc tribuere sufficiat, quam SS. Patres illis impertiri non dubitant, cum ejusmodi heroes martyribus annumerant.*

SECUNDUM famem, pestilentiam, & grassantes publicè morbos, nihil tristiùs bello mortalibus accidit. Comitantur exitiale monstrum Furor, Vis, Insuperbia: sequuntur calamitates agrorum, urbium excidia, ruina provinciarum, facerorum vastitas, luctus, strages, funera. Miles quilibet, etiam socius & amicus, hostis est; tam fere nocet cum propugnat, quam cum oppugnat. Sed quia tolli omnino bellum non potest, cujus faciendi duram necessitatem sæpe justitia, interdum religio imponit, interest certè, ut quam minimum in eo gerendo peccetur. Huic rei navavit operam Societas, quantam hominibus religiosis navare licet.

Gregorius XIV. catholicis in Gallia, sacro quodam foedere ad religionem tuendam colligatis, auxiliares copias anno MDXCI. submisit. Eas comitati sunt delecti à Pontifice sacerdotes Societatis: cumque Virodunum attigisset exercitus, viâ morbisque defatigatus, præsto fuerunt quotquot erant in collegio Virodunensi Patres, & partes suas curandis militum corporibus animisque præclare obierunt. Advolavit in egregii laboris societatem, qui novitiis instituendis Viroduni præerat, P. Benedictus Nigrius, cum expedita tironum manu. Sed dum laborantes milites sublevant, ipsi gravissimos in morbos (ea sunt præmia hujus Christianæ militiæ) inciderunt. Unus illis oppressus est Nigrius, ceteri ad novos labores reservati. Oriundus erat Setia, antiquo Latii oppido: Societati nomen anno MDLIX. dederat.

Mors Amurathis Tertii, Turcarum imperatoris, quæ incidit in V. Kalend. Febr. anni MDXCV. Europæ principes ad renovandum contra nominis Christiani hostes fœdus & bellum stimularat. Cæsar, ejusque frater Matthias, quorum regiones ferro Turcarum & igne vastabantur, militem cogere & auxilia undique conquirere properarunt. Dux qui tanti belli molem sustineret, accessit est à Belgio, ubi copias regis Catholici ductabat, Carolus Comes Mansfeldius, militiæ peritissimus, & in Belgicis Gallicisque bellis magna cum laude versatus. Obviam hosti processit cum amplius sexaginta militum lectissimorum millibus, à Germania & Hungaria collectis. Pontifex in communi Orbis Christiani causâ suas partes desiderari passus non est: suppetias advenere dena hominum millia, duce Joanne Francisco Aldobrandino. His sacerdotes à variis Ordinibus religiosi additi, quos inter numerati quatuordecim è nostris. Dux Magnus Hetruriæ suis pariter copiis, quibus Joannem Mediceum, fratrem suum præferebat, nonnullos è Societate adesse voluit. Pridie quam Viennâ moveret signa exercitus, Visitator Austriæ P. Laurentius Magius ad Socios hunc in modum verba fecit. Dum isti ferro & manu pugnabunt, inquit, vos oratione, exemplo, & ceteris sacre militiæ muniis obeundis certare par est; nec victoriæ, quam Christianus exercitus, ut merito confidimus, reportabit, pars magna non eritis. Plus ad aciem Amalecitarum delendam profecit Moses*, sublatis in cœlum manibus, quam Josue instructis fortissimorum hominum agminibus. Orasse, vicisse fuit.

Dum vitis, quibus licentia militaris indulget, aditum in castra præcludetis, cladem inde pariter & stragem avertetis. Si vel decem probi extitissent in flagitiosa urbium famosarum turba, non scelestæ capita ultor nequitia ignis, è cœlo demissus profligasset*. Ærumnas & pericula quæ imminent non celabo: hæc scilicet præmia quæsitum venistis. Laus militis boni, honesta vulnera sunt: medias inter acies ac mortes intactum illibatumque versari, pudor est. Ceterum cogitate Religionis & Societatis famam in manibus vestris esse: talem utramque catholici, hæretici, & Mahometani putabunt, quales vos aspexerint. In tanto theatro latere non potestis. Ite fastis omnibus, & bellum Domini, ut viros fortes decet, gerite. Hac oratione accensi Christi milites non leve momentum ad victoriam brevi consecutam attulerunt. Nam Mansfeldius, terrore belli varias in-

*Vide Theophili Raynaudi opus. De Martyrio per pestem. Tom. 18.

§. IV.
OPERA IN BELLO
A SOCIETATIS
HOMINIBUS NAVATA.

24.
In exercitu Pontificio, & Pannonico.

*Exod. 17.

*Genesis. 19.

partes, ut hostem ludificaretur. sparsa, derepente in urbem Strigonium arma vertit. Ad ejus defensionem Turcæ concurrunt grandi cum exercitu. Occurrit Mansfeldius infestis signis; fundit hostem fugatque, diripit castra, & viam ad victorias, quæ istam exceperunt, sternit. Sed earum voluptate ne frueretur, invidit morbus è prælii defatigatione collectus, & immatura mors, quæ ereptus est pridie ejus diei, quo Deipara in cælum Assumpta colitur. Ubi primum Viennam attigerat, nihil habuerat antiquius, quam ut expiata rite conscientiam, cœlestem caperet cibum; & rogatus num id facere in privato domus nostræ sacello vellet; Imo, inquit, in templo; neque enim publicè pudet profiteri, quam veni propugnaturus, Fidem, Humatus est in æde nostrâ, & à P. Georgio Scherero pro concione laudatus, Ardor bellicus, in militum animis è fortissimi viri memoria, & exemplis relictus, tum recens ex ejus jactura dolor novos illis addidit stimulos; ac dedita citius opinione arx Strigoniensis, altero post & quinquagesimo, quam fuerat in Turcæ ditione anno, victores accepit. Captum eodem ferè impetu Vicegradum; nec diu stetisset ipsa Buda, nisi victoriæ felicem cursum retardassent morbi, quibus debilitatæ Christianorum copiæ animos hostibus, Patribus laborem, addiderunt, Orati ut castrensium nosocomii curam susciperent existimarunt hanc provinciam, utpote uni addictam loco & ministerio, non satis consentaneam esse ipsorum Instituto, cui animorum cura potior quam corporum est; quamvis ne ista quidem, ubi res tulit, negligatur. Accedebat, quod publicæ pecuniæ conquisitio quædam ac distributio esset huic annexa muneris, negotium invidiosum. Eo si onere liberarentur, nihil in se futurum moræ affirmarunt, quominus ægotantium militum corporibus animisque prospicerent, uti prolixè præstiterunt, vigiliis, valetudinem, vitam ipsam, quam assiduus labor quaternis ademit, in hoc præclaro caritatis opere, bene positam arbitrati.

Libet hic attexere P. Joannis Fernandis religiosam mortem, quæ in hunc ipsum annum MDXCV. incidit. Quippe ejus diu ac strenue in isto Castrensium Missio quæ labore versata virtus exemplo esse possit. Hebraicas, Græcæque litteras docebat Toleti, vix annos duodeviginti natus, quando ad B. Virginis, cui à Columna nomen est, sacram ædem orans, ab ea dicitur monitus ut Societatem nostram iniret, quod anno MDLVI. exequutus est. Theologiam Vallisletii, Romæ, Laureti & Lovanii dum profiteretur, labores Apostolicos dicendi ad populum, consentientes audiendi, excurrendi circumjectos in agros, labori litterario addebat, Parisios, ut eandem divinam traderet scientiam accitus, illic per sexcenta pericula devenerat; sed redire statim in Belgium est iussus, quod illum Alexander Farnesius, Dux Parmensis, vocabat. Jam Belgicis in castris ad Lovanium, tanquam in umbra, proluserat, ubi Joanni Austriaco adfuerat ægotanti, cumque ad supremum cum morte certamen fortiter sustinendum confirmaverat. Nunc vero in campum ac solem prodeundum fuit, obsidente Trajectum ad Mosam Alexandro Parmensi. Summa vi ad mœnia, hinc defendenda, inde oppugnanda, certatum est. Humus constrata cadaveribus, oppleta prope modum fossæ, Erumpebat tristis militum gemitus, qui confusa in strage semineces, opem lamentabili voce implorabant. Accurrebat sub noctem P. Fernandes, & quamvis periculi magnitudinem plurimi objicerent; quamvis è mœnibus undique ferrea deplueret grando, prorepebat inter cadaverum acervos, quorum oppositu contra igneam imbrem aliquandiu jacens silensque se protegebat, donec milites qui summos insidebant muros, conspicati jacentem & peremptum rati, abisterent. Tunc enimvero assurgens paulatim, & proximos quosque contrectans, percontabatur num quis adhuc viveret: ad alios, gemitu & suspiriis admonitus accedebat, & absolutos de peccatis comparabat ad piè moriendum. Nocte hunc in modum transacta se, priusquam lucefceret, torus sanie & cruore cooperatus, recipiebat in castra. E labore in morbum lapsus, & in lecto jacens, audit tentata iterum fuisse mœnia majori successu, non minori strage. Teneri non potuit, quin humeris alienis subvectus, militum vulneratorum contubernia lustraret, ac voce languida miseros solaretur & expiaret; vixque impetratum est, ut imponeretur equo, duobus hinc inde militibus sudore frigido perfusum ac titubantem susten-

25.
P. Joannis Fernandis versatus diu & utiliter in castris labor. Ejus vite ac virtutum synopsis.

sustentantibus. Ubi primum insistere pedibus potuit, circumire ducum tentoria vacillante gradu, & corrogare pecuniam cœpit, quam sauciis militibus dividendam curaret. Tugurium sibi mediis in castris compegerat, in quo escas coquebat, agris paululum è morbo recreatis idoneas, quas illi dum petulum veniebant, meliore pabulo divini verbi pascebantur.

Cibum ipse aliquando cum caperet, adsuere qui de peccatis confiteri velent, stabantque ad ostium, ne prandentem interpellarent. Re animadversa, prodit, increpat morantes, introducit, ac singulos per otium confitentes audit. Miranti cuiquam respondit, hominum ejusmodi perquam instabiles esse voluntates; si opportunitatem audiendi omittas, vix redituros. Tum, certa & præstituta divinis consiliis haberi momenta, quibus obsecundare Christi ministros oporteat, rationem scilicet officii parum diligenter administrati gravissimam reddituros. Confirmata valetudine tugurium suum deserens, castra concionabundus pererrabat: pro suggesto, instratum tabula tympanum erat; pro plausu, silentium coronæ militaris: pro approbatione, morum emendatio. Nihil magnum præ se ferebat: statuta perpussa, obsoleta & detrita vestis; vultus, sermo, incessus; abjecta omnia: tamen cum diceret ageretve quidpiam, ad salutem animarum quod pertineret, alius videbatur. Nimirum ibi plus Numinis, ubi minus hominis est. Adeo vero non tægebat si quid in se humiliter & aspernandum videretur, ut illud ultero aperiret proderetque; & cœlestem, qua pollebat, sapientiam sic diffundebat, ut ab aliquibus tum externis, tum etiam nostris, creditus aliquando sit mentis parum sanæ. Quod ille non nesciens, gaudebat in sinu, & hac hominum opinione, tanquam sibi debita utilique, fruebatur.

Expugnata urbe Trajectensi, & reducta in eam Societate, numerosum præsidium simili cura excoluit. Mox, discedere parantibus, quemadmodum Atrebatensibus pactis conventum erat, militibus exteris, maxime Hispanis, reversus ipse quoque in Hispaniam est, ubi ætatem reliquam docendis sacris litteris, augenda & accendenda verbo & exemplo passim pietate, transegit Salmantica, Tolleti, Vallisoleri, Merinæ, quam Campensem vocant, ac demum Palentia. Non alius est capitalior operum bonorum hostis, quam vitiosus pudor. Jacet virtus, cum in probro est. Hunc præposterum pudorem ubique expugnare conabatur; eoque maxime consilio instituit ac fovit illam Vallisoleri sodalitatem, cui ab amore Dei nomen inditum, & cujus sodales hunc præcipuè Dei hostem, vitiosumque pudorem, debellandum sumunt, modo congregandis ducendisque publicè ad audiendam Christianæ doctrinæ explicationem rudibus ac pueris; modo educendis è voluptatum cœno mulierculis; nunc sepeliendis pauperum cadaveribus, & aliis id genus rebus obeundis, quas mortalium superbia ut abjectas & pudendas fugit. Ejusmodi pietatis opera sæpe Fernandes, ipso monente ac jubente Christo, suscipiebat; nam ejus sanctissimo conspectu non semel dignatus fertur. Angelo vero Custode suo utebatur familiariter. Ab eo excitabatur interdum noctu ad orandum: ejus in gravissimis periculis præsentem sentiebat opem; eoque monstrante multa, priusquam evenirent, comperit, prædixitque.

Divinis id genus beneficiis apprimè respondebat. Numinis voluntatem & gloriam stitabat unicè: vexabat corpus jejuniis, ciliciis, vigiliis, verberatione assidua; etiam inter illas, quas memoravi, castrenses arumnas: adeo ut ejus socius Vincentius Zelandrius, ingemiscens aliquando diceret, Heu, quid me fiet, qui tam longè ab ista vitæ asperitate absum; qui mihi tam segniter blandior! Cui Pater: Tuum hoc esto judicium, ait: vide quid tua peccata poscant; ego novi me; sum quisque onus portet. Parabili cibo semel tantum per diem modice reficiebatur, semper abstemius. Somnum, quamvis diurno fractus labore, non producebat ultra mediam noctem: tunc ad cadendum corpus, & orandum prosternebat. Stratam dabat cubanti tabula, storea, vel quidpiam vestimenti abjectum in humo nuda. Parcissimus erat illi, etiam cum nostris, sermo, ac ferè de rebus divinis: maximè vero de præclaris sanctorum facinoribus, quæ collecta per otium, & in promptu, habebat. Certior factus divina quadam voce de

26.
Nihil procrastinandum in aliene salutis negotio.

culpulis levioribus, quas inter loquendum admiserat, eas pertinaci, quoad vitiorum silentio emendare ac purgare studuit. Interrogatus de molestis, quæ Societatis pacem domesticam vexabant in Hispania turbis, respondit inde illas ortas esse, quòd frequentius nostri cum hominibus, rarius cum Deo versarentur. Institutum vero Societatis eo nomine in primis commendabat, quòd crebram rerum cœlestium meditationem, odium sui perpetuum, & solidarum virtutum studium præciperet. Quoties rem divinam faciebat publicè, cavebat ne horam dimidiam excederet; sed privatim, cum indulgere pietati liberius poterat, quod faciebat bis terve per hebdomadam, quaternas fere sacrificio admirabili tribuebat horas; sui vix compos præ gaudio. Easdem inter precandum delicias degustabat, quibus animus abducebatur tam longè a corpore, ut illud sæpe destituisse videretur. Paucis, antequam è vinculis mortalitatis evolaret, diebus, auditus est in cubiculo gestire solus præter modum, exclamare, psallere. Insolitæ rei causam sciscitatus collegii rector, jubet pro imperio indicare: cui Fernandes solito candore: Ah! mi Pater, possumne lætitiis omnibus non incedere, qui è numero electorum esse me resciverim? Quid mirum, si prænunciatam à Christo ejusque Matre sanctissima mortem lætus & alacer obierit?

Redintegratum contra feroces Ottomanos bellum est anno MDC. Dum Canisiam Ferdinandus Archidux Austriae obsideret, binos è Societate sacerdotum procurandis militum animis sumpserat; quorum patientiæ, caritati, & industriae materiam tanto pulcriorem præbuit obsidio, quanto molestior existit: quippe non modo cum hostibus, sed cum uliginosis paludibus, cum tempestatis inclementia, cum annonæ difficultate, pugnandum erat. Corrogarunt Socii a ducibus primariis pecuniæ vim non modicam, ac promptum argenti, agro, faucio, militi subsidium compararunt; adeo ut benefici palam consalutarentur, ac plurimi ad ipsorum accidentes genua, quod viverent vigerentque, illis acceptum ferre se prædicarent. Hac arte quæsitus in militum animos aditus, qui per impensam corporibus benignitatem facile vulgò patet. Indictum acre bellum vitiis, quæ diurnam & otiosam obsidionem comitantur: sociam ad ea extirpanda operam conferente Ferdinando, idque exemplis docente, quod Patres verbis. Attentas illis verba de Deo facientibus præbebat aures, tanquam unus è grege manipularium: rei divinæ singulis diebus intererat; cœlestem ad mensam publicè ac frequenter accedebat; satores hæreseos, custodibus ad castrorum portas locatis, non segnus arcebat, quàm hostes infestissimos; præibat sacerdoti sacrum Viaticum ad agros deferenti, prosequente longo nobilium agmine, nudis capitibus, ardentemque gestantium manu facem. Valuit ea pietas majorem in modum ad obfirmandos contra periculorum gravitatem animos militum, quorum fortitudo inter adversa omnia, ipsis hostibus, licet ingenio loci & temporis acerbitate defensis, terrori & admirationi fuit. Felicis gesta res ad Albam Regalem, urbe demum occupata; fuisseque non semel, quæ suppetias venerant, copiis.

Magna tantæ victoriæ pars fuit Philippus Emmanuel, Mercorii Dux, Princeps è regia Lotharingiæ domo, minoris Britanniae, quam Armoricam vocant, antea gubernator, & catholicorum in Gallia, fœderatorum partes secutus. Pace cum Henrico IV. composita, in Germaniam ad Rodolphum Cæsarem, voluntariam illi daturus operam, se contulerat; possimusque præclara ejus facinora Sancto Ignatio non temere ascribere, cujus beneficio sanatus est in ipso belli aditu, cum a medicis depositus fuisset. Admotum pectori chirographum S. Patris letalibus morbi vim elisit, ac pares laboribus, nec molli victoriæ vires omnino restituit.

Ostendam cinxit Albertus Archidux, obsidione memorabili, anno MDCL. quæ in tres annos producta, Fœderatorum Ordinum & Hispania opes, arma, corpora, contrivit. Plurimos Sociorum tam dura castra exercere: pestis aliquos abstulit; alios ferreæ minorum majorumve tormentorum glandes discerperunt. Hos inter enituit P. Spikermannus, quem vulgo Germanorum Apostolum appellabant, quòd in hac obsidione amplius octingentos ad veram adduxisset Fidem, neque gregarios tantum, sed centuriones plerosque ac tribunos. Ejus industriam

27.
Missiones Castrenses iterum in Pannonia; mox ad Ostendam: tum in Livonia, in Valachia, &c.

& virtutem ceteri Patres imitabantur, tum valentibus adjuvandis, tum vero agris ac vulneratis, quæ maxima erat multitudo. Et quoniam castra tantam ægotantium copiam non ferebant, Brugas vicinam in urbem deportati sunt, ubi octo nosocomia impleverunt. Ceteri milites, quibus salvis & integris esse licuit, a Patribus ita fuerunt ad pietatem instituti, ut religiosa speciem urbis castra Hispana præ se ferrent. In Livonia circa annum MDCIX. celerius a Polonis, nec minus feliciter pugnatum est contra Suecos, quibus arces duæ munitissimæ sunt ereptæ, manifesto favore Superum, quos publicis precibus in templo nostro institutis, conciliare dux catholici exercitus impensè studuerat. Fugam hostium factam observant illo ipso die, quo ab omni populo, & ipsius ducis uxore, matrona lætissima, intentius supplicabatur. Dux Rigam triumphantis in morem invehens, vota Superis in collegii templo solvit. Nostri militibus nullo loco defuere, seu cum afflissent ad moenia, seu cum signis collatis dimicarent. In ipsis castris perpetua horarum quadragenarum comprecatio, ut in urbibus pacatissimis. Repressa deinde victoris exercitus licentia; provisæ remedia tum corporibus, tum animis, laborantibus. Spectaculo non invidendo fuit sacerdos noster, militem plagis & ulceribus foedissimis coopertum abjectumque devehens, instar evangelici Samaritani, & in nosocomium deportans. Sed istius vulnera sanari potuere facilius, quàm alia longè graviora, multis imposta per hæresim à Suecis inductam. Plurimis facta medicina. Pertinaciam aliorum si non vicerunt poenæ impiis divinitus insiditæ, saltem terruerunt. Vir uxorem graviter ægotantem, & Lutherobriam dolens, perfecerat ut sacerdos è Societate, illa incisiâ, introduceretur. Id ubi resevit, in maritum invehens, & Jesuitam diris devovens, proripit se confestim è strato in interius conclave, ubi reperta postmodum est ex infelici trabe suspensa. Alius, dum catholicorum caerimonias derideret, ore jocularem in modum distorto, ludosque, spectante familia, histrio sceleratus faceret, dirigit subito, constrictaque lingua periit; hiante foedum in morem gula, & imagine sceleris ac poenæ in mortuo vultu adhuc vivente.

Valachia Princeps gravi suorum tumultu vexatus in Poloniam se receperat circa annum MDCXII. Inde arma contra perduelles movit. Sed cum subitarias juventutis inexercitatae copias collegisset, primo congressu fusa victæque in Turcarum manus, qui se perduellibus junxerant, magnam partem venere. Aliquot è Sociis castra Valachorum sequebantur. Capti à Tartaris, & in servitutum abrepti sunt. Ex iis P. Franciscus Zgoda jamdudum expeditionem in Tartaros, sive Scythas meditabatur. Omnes tentanti vias nihil successerant. Oblata mirum in modum est rei conficiendæ oportunitas unde minimè sperabatur. Magnus Tartarorum Chamus (sic Imperatorem suum vocant) legatum per eos dies ad Poloniae regem destinaverat. Is ubi Camenecum attigit, subsistere coactus ea in civitate multos menses, magnam nostris dederat facultatem cognoscendæ regionis. Catholicus enim erat, oriundus ex urbe Cassa in Taurica Chersoneso, seu minore Tartaria, domo Genuensis; & sacrorum causa veniebat in ædem nostram frequens, ac suæ gentis miserabilem statum sæpe deplorans, sacerdotum Societatis copiam fieri suis popularibus vehementer optabat. Pater Zgoda, quid animo dudum ageret illi aperit; & qua ratione penetrare possit in Tartariam, quarit. Ex eo cognoscit Tartarorum legibus sancitum esse, ne quis sacerdos ab eis admittatur, nisi Constantinopoli missus, aut è captivis emptus. Ego scribit ad nostros Constantinopoli agentes, ut ipsorum bonâ veniâ sibi eò venire liceat, ut inde in Tauricam Chersonesum, aliosque Tartarorum fines commeari possit. Interim, dum a Patribus ad quos scripserat, responsum expectat, ipse ad Tartaros alia via citiusque pervenit. Missus enim in Valachiam, quemadmodum supra narravimus, ut militibus operam navaret, captusque, in ultimam pæne Scythiam, quo aspiraverat, abductus est. Percommode vero accidit, ut idem Magni Chamii legatus, quem Cameneci viderat, ex legatione redux in Scythiam, casu incum, novem jam dies captivum incideret. Agnitum redimit; ducit domum, offert Tartaris doctorem, & Christianæ legis magistrum. Quem illi velut divinitus missum libentissimè acceperunt. Hunc non procul Cassensî oppido, rem Christianam

nam summa civium omnium voluntate gerere mercatores Constantinopolitani renunciarunt. Illius socius graviter in infausto illo praelio vulneratus, ejusdem legati studio curatus diligenter, & cum Tartaro permutatus, in Poloniam rediit.

Instauratum est in Belgio, quod aliquandiu sequestrâ induciarum fide quieverat, bellum anno MDCXIII. duce Marchione Spinola, qui conscripto celeriter exercitu, hostes inhibuit, ut qui modo prædabundi alienas incurfabant possessiones, ad suas protegendas recipere se cogerentur. Adsciti de nostris in eam expeditionem quinque sacerdotes, cum uno rei familiaris adiutore. Habita in castris conciones lingua quincuplici, & reliqua ministeria pro Societatis instituto, ac militum usu, frequentata. Ut ventum est Aquisgranum, urbs confestim recepta; & ejus dominatu dejectis hæreticis, catholici magistratus in integrum restituti; reddita sedibus suis, licet expilatis; Societas; cautum publicæ securitati, præsidio mœnibus imposito. Aquisgrano profectus cum exercitu Spinola, castella oppidaque illius tractus occupavit. Rhenum sublicio ponte junctum trajecturus, jussit Patres antevertere, & aram in adversâ ripa moliri, ut sacris rite factis procuratas & expiatis copias ad Vefaliam oppugnandam recta traderet. Vefalia civibus frequens, mercaturis clara, locuples opibus, sed hæresi ab annis compluribus laborans, omnium toto Belgio ea lue contactorum commune receptaculum habebatur. Spinola pluribus locis mœnia verberare acriter instituit, ac porta jam una conquassata, irrupturo militi patebat aditus. Quo periculo percussî Vefalienses deditionem honestis conditionibus fecere. Populum docere continuo adorti Patres, abalienatos perveracia erroris animos mitigare, ac reliqua belli vulnera sanare studuerunt.

S. V.

PRIVATA BELLA
ET INIMICITIÆ
SUBLATÆ.

28.

In Balearibus
insulis com-
presse factiones.

PRAETER hæc bella, quasi publica, & cædem ac sanguinem spirantia, quædam alia sunt veluti privata & domestica; mitiora quidem illa in speciem, at publicæ tamen tranquillitati non leviter inimica; cum cives domo, patria, cognatione conjuncti, animis disjunguntur, & odia exercent crudelia, quæ sæpe in familiarum, atque adeo civitatum perniciem erumpunt. Huic etiam malo variis in locis à Societate provisum. Exempla è multis pauca feligam: omnia enim percurrere molestum & infinitum sit.

In Balearium insularum majore oppidum (Petram vocant) in duas distractum factiones anno MDCXIII. suum in exitum conspirabat. Civibus aliquot occisis, pluribus male multatis, aut in vincula conjectis, non pauci relicta patriâ voluntarium in exilium profugerant. Societatis sacerdotes ad restringendum discordiæ feralis incendium festinarunt. Vident occupatum à geminæ factionis ducebus primarium oppidi templum. Nec dubium erat quin, ipsis ferro concurrentibus, ades sacra humano sanguine redundatura esset. Proceffit è nostris unus, & ad efferatas mentes, obstructasque ultionis cupiditate aures, incassum verba fecit. Truces vultus & ardentes ira: triste silentium, nisi quod vocibus interdum incertis strepebant, oculisque minacibus se se invicem designare ad cædem, & jam jamque tela stringere profanis manibus videbantur. Scitum est illud Græci Oratoris, primas in eloquentia esse tribuendas actioni. Animus auditoris, quem expugnare tendit orator, sensibus corporis, tanquam civitas multis propugnaculis extrâ collocatis, munitur: ea qui vicerit, nullo negotio arcem ipsam pervincet. Voluntas, regina instar, oculis & auribus utitur, tanquam interpretibus, & ministris. Aditus ad hanc per illos & facilis & necessarius est. Hac arte, atque adeo cælesti fretus ope sacerdos, ubi vidit obscuras oclusasque rationi mentes furiosorum esse, oculos illorum capere novo spectaculo aggressus est. Profert ex improvise geminam calvariam, quasi essent duo factionum capita. Iisdem vocem affingit. Deplorabant miseram sortem; æterna, quæ luere apud inferos, supplicia describebant; Deum amatorem concordiæ, discordiarum ducebus infernum, & in eorum perniciem armatum, denunciabant. Hac imagine percussos sentiens orator Christianus, pendentis è cruce Redemptoris effigiem eduxit, & factionum principes appellans, oravit ut petenti Christo & morienti inimicitias condonarent. Ad hanc vocem fletus & clamor adæ tota: mox arma projicere; inter se amplecti, ac suavissime deosculari. Pars ad sacerdotis provolui pedes, ut sacra confessione

sione cum Deo redirent in gratiam; pars in vicos prorumpere, & hostes alterius factionis vestigare, quibuscum perennem amicitiam omni obsecratione sancirent. Postridie ad communionis & pacis Sacramentum admissi, pacem ante aras, Christo ipso sequestro & interprete, professi sunt. Inde ad Proregem deducti, ejus chirographo publicisque tabulis eandem consignarunt. Prorex omnium, quæ contra leges ac Principem commissa fuerant, memoriam æterna oblivione deleri jussit.

Alius è nostris cum per idem tempus in Valentino Hispaniæ tractu sementem Evangelicam spargeret, incidit in oppidum internecinis omnium pæne civium odiis usque eò convulsam, ut parentes, liberi, conjuges, fratresque in mutuam armarentur necem. Concio unica de Christiana concordia fructu & necessitate, tantam vim habuit, ut erumperent promiscuæ voces condonantium injurias, & sibi condonari deposcentium. Non satis habuit concionator animos permovisse; examinavit disceptavitque præterea odiorum causas, non è sua magis quam è litigantium sententia; & quod visum est æquitati consentaneum, decrevit, ea partium approbatione, ut odiorum semina ipsa evellerentur. Denique consuetudine sacramentorum in populum inducta, caritas sanctissimis vinculis adstricta fuit.

Non alia ratione redintegrata est gratia inter Barcinonenses aliquot primarios cives, qui totam urbem duas in partes miserè disciderant. Perfecit unus è Sociis, Deo juvante, ut inter partium capita pax conveniret. Accubuerunt ad cœlestem in templo mensam, attonita civitate, vixque suis oculis credente. Reliqua geminæ factionis membra in gratiam facile redierunt, discordiæ ducibus eodem jam studio pacem reducentibus, quo illam antea expulerant.

Gravelinga oppidum est Flandriæ, inter Caletum & Dunkercam. Diuturno dissidio divulsi a curione oppidani nullam concordia viam, nullam spem ostendebant. Sacerdos noster singulorum domos perlustrans, mentes omnium paulatim inflexit ad pacem. Expugnandus restabat unus, qui, ne ceteris assentiretur, concesserat ex oppido in suburbanam villam. Hunc adit, & qua rationum momentis, qua crebris obsecrationibus, ac tandem iræ divinæ denunciatione gravissima, conatur saxeam pectus emollire: sed frustra. Supplex recurrit ad opem Divinam, & noctem precando extrahit. Postera die bene mane adest ille vir primarius, hesternæ contumaciæ veniam impensè rogat, seque in Patris potestate futurum recipit. Qui latius inexpectato eventu, convenire illicò dissidentes unum in locum jubet. Pax æquis conditionibus composita, eique in posterum conservandæ leges idoneæ perscriptæ. Chavesium, sive Tuorodorum, est oppidum Lusitanæ: nomen illi, ut aiunt, verus fuit, Aquæ Flaviæ. Populus omnis scissus in partes miserè dissidebat: plerique armis, ut ad pugnam, accincti procedebant in publicum, male sibi ab inimicis metuentes, & in ipsis templis armati operam divinæ rei dabant: ubique altercationes, rixæ, vulnera, deprædationes, homicidia: nec dubitaverant aliqui patriam domumque deserere, & in Africam exulatum proficisci, aut in Indiam; ut conspectum ac memoriam civitatis infelicissimæ fugerent. Nihil Regis, nihil Bracarenis Archiepiscopi sæpius interposita auctoritas, & mistæ precibus minæ valuerant ad faces odiorum extinguendas. Venit in mentem P. Gaspari Suario, qui in Villaregiensi collegio quæstiones de moribus explicabat, eo per hebdomadæ sanctioris dies excurrere. Adest, & cives pro concione monet, se nullius jussu aut rogatu adeste, verum uno salutis ipsorum studio impulsam: de sanctitate majoris hebdomadæ subjicit pauca, deque habendis concionibus, ad quas hortatur ut frequentes & inimicitiarum paulisper obliti, conveniant. Illas vero ad suadendam pacem potissimum dirigebat. Sed nulla æque animos ad concordiam inflexit, ac feriæ quintæ concio, ab istis verbis ducta: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem* *. Eò vero majorem habuit vim, quòd a Patre imparato, ac ne id quidem suspicante, habitam fuisse constabat. Moris erat, ut feriæ quinta majoris hebdomadæ ad populum diceret certus è religiosa familia orator. Is accuratè, quæ dicenda erant meditatus, sensit paucis, antequam in suggestum prodiret, horis ea omnia sibi è memoria sic effluxisse, ut ne vestigia quidem levissima superessent. Excusat valetudinem, rogat ut dicendi partes deferantur ad alium. Instant nihilominus amici ut enitatur; ostendat

29.
Valentini, Barcinonenses, Gravelingani, & Tuorodurense, ad concordiam adducti.

* Joan. 15.

dat se populo saltem; & quam paucissimis verbis, retinendi moris causa, peroret. Recipit se facturum, quoad liceret: verum derepente fauces molesta tuffis raucitasque sic obstruxit, ut verbum effari nullum posset. Itum est ad P. Galpam, audiendis in templo confessionibus occupatum: qui ad dicendum ingressus tanto majore fiducia, quanto presentius Numen adfuturum sperabat, exposuit minime fucata oratione Christum ad Judæ inimici & vilissimi proditoris pedes abjectum; ac postmodum eundem confixum cruci, deque probrosa trabe Patri supplicentem pro tortoribus, ostendit. Ad crucis aspectum cœtus omnis expalluit: suspiria, lacrymæ, gemitus toto templo. Sed ne conceptus affante divino Spiritu ardor, mora interjecta, refrigeret, prudens sacerdos cum oppidi magistratibus in ædem sacram venturum se pronunciat, ad faciendam publicè concordiam. Hora constituta irrumpunt in templum, amplectuntur inter se, flentes; alii pedibus aliorum advolvuntur. Qui deesse visi, evocantur; in pacis leges uno consensu cuncti jurant: utque res plus haberet firmitatis, litteris publicis omnia mandantur. Ipsi pueruli, qui susceptas à parentibus aiebant iras, ac ne ludorum quidem puerilium communione jungentur, teneros in amplexus ivere; mox digressi templo pacem communibus ludis fœdusque sanxerunt. Idem epulis mutuis restati viri, oblivionem injuriarum voce præconis edixere, hostis reipublicæ deinceps, ut qui pacem tam sanctè compositam abrumperet, hostis reipublicæ judicaretur.

30.
Inimicus ab odio internecino ad amorem mire traductus.

Olisippone vir nobilis regio ministro alapam in templo infregerat. Rem per se atrocem multo faciebat atrociorum locus, & religione sacer, & frequentia celebris. Ardens ultionis cupiditate qui fuerat affectus injuria, nullis amicorum, nullis Patrum precibus monitisque flectitur; conducit sicarios, inimicum ubique locorum & gentium vestigat. Qui, ut effugere se terrâ non posse cernit, conscendit scapham, salutem infido mari commissurus. Sed orta tempestate, subvertitur navicula, & frangitur. Vectoribus absorptis, unus ipse enatat in rupta raris tabula. Cum fluctibus ac morte luctanti præsto fuit navis major validiorque, & lacerum ac seminecem excepit. Ea vehebatur ille regius minister, & recentis ultor ignominia. Postquam tandiu quæsitum ad necem inimicum habuit in conspectu & potestate, recordatur quæ à Patribus audierat, & mutata subito mente illum semianimem, & à quo servaretur ignarum, excipit, fovet amplexu, & idoneis, quæcumque opus erant, subsidiis relevat. Qui opportuna curatione paulum recreatus, postquam se se, & amicum hostem aspexit, à timore summo ad lætitiâ repente traductus, ad genua provolvitur, gratias agit, laudibus magnis viri caritatem effert. Ambo inter se amantissime complexi portum subeunt; inde in templum Societatis auctor injuriæ progreditur, ut quam acceperat ab homine veniam, eandem à Deo per sacram confessionem expiatus obtineret.

31.
Sancita pax inter Camertes & Septempedanos. P. Petrus Sanches revocandæ inter dissidentes concordie egregius artifex.

Diuturna discordia Camertes ac Septempedanos crudelibus exercebat odiis, nec ullus, post varia nequicquam experta remedia, medicinæ locus apparebat. Venit ad Camertes sub initium ætatis anni MDCII. P. Carolus Mastrilius, & inveterati mali causas accurate cognovit. Illarum præcipua erat altercatio gravis, & pugna olim inter quosdam utriusque civitatis juvenes commissa. Manaverat ultionis cæca rabies ad eorum parentes, familias implicuerat, & extinctis parentibus, vivax in filiorum animis aiebatur & augetur. Sublata commercii facultas inter utrumque populum: ac neuter proximos alterius fines attingebat impune. Mastrilius ultro citroque commeans, cohortando, arguendo, demulsit atroces animos, & in solidâ pacis optatissimas condiciones ut convenirent, auctoritate consilioque pervicit. Pronunciata publice pax, & sacris civilibusque carimoniis ad perennitatem stabilita.

Hanc dissidentes conciliandi facultatem eximiam divinitus accepisse videtur P. Petrus Sanches Toletanus, qui extremum habuit eundem annum MDCII. quo hæc inter Camertes & Sanseverinates odia composita, cum annos ipse quatuor & septuaginta vixisset. Incredibile dictu est qua suavitate orationis, quibus artibus, efferatas hominum delinirent mentes, & ad obliterandam, etiam publice, cum res poscebat, injuriarum memoriam perduceret. Id ejus caritati Deus

Deus dabat, qua unice salutem hominum sitiens, totus in alienis commodis, quacumque ratione posset procurandis erat. Hoc vel maxime intellectum est, cum aliquando accitus ad ægrotum fuit, Societati nostræ adeo infensum, ut idcirco potissimum doleret eripi vitam sibi, quia eripi pariter potestatem videbat nobis nocendi, quod unum per annos complures studuerat. Hunc Sanches convenit, placat, confitentem audit. Qua ex confessione cum æger delibutum se improvisa & inexperta tranquillitate gaudioque cerneret, lacrymis obortis Patrem, in eoque Societatem universam, complexus, ejus arbitrio fortunas omnes suas permisit, obrestans ut illas actutum vel acciperet sibi, vel aliis divideret. Sacerdos integerrimus, publicæ tantum utilitatis memor, in commune quoddam horreum hanc pecuniam contulit, ex quo frumentum egentibus vili aut nullo pretio distribueretur. Hoc adeo civitati gratum accidit, ut opus tam utiliter ac pie institutum fovere ac tueri omnino decreverit. Ægrotus verò hac permotus abstinentia & caritate, prædium Societati non rogatus dedit. Haud minori pietate & prudentia civis alterius morientis opes idem Sancius impendit. Iis enim primùm neglectam urbano in templo lampadem aluit, perenni oleo attributo: deinde constituit, ut sacerdotes quinque linteati parochum, Eucharistiam deferentem ad infirmos deducerent, certo stipendio singulis assignato. Idem (ut ceteras præclari viri laudes prosequamur) nosocomiorum in urbe omnium pater quidam & patronus habebatur. Ea quippe ut curarentur diligenter, & necessariis rebus instruerentur, providebat per cives, quorum regebat conscientiam; & per nobiles matronas, quarum est in hoc genere major sedulitas, & in singulis rei domesticæ partibus perspicacior industria, quàm virorum. Ut autem res esset ad diuturnitatem firmior, sodalitatem instituit, cui nomen imposuit à Caritate, certisque legibus communivit: addidit opima vectigalia, quæ deinde morientium, ac vivorum liberalitate sunt cumulata. Intelligebat scilicet nihil ad levandas mortalium calamitates, & constantem publicæ pietatis fructum esse validius, quàm si concordēs multorum animi, vinculo communi virtutis adstricti, amice in rem aliquam conspirarent.

In variis in locis experti sunt Socii: cum enim illis ubique adesse non liceret, optimum factu visum est formare sodalitates, quarum singulæ certam publicæ utilitatis procurandæ augendæque partem sumerent. Ex ejusmodi sodalitatibus unum a Tolertanis Patribus conditum circa annum MDCII. hoc susceperat muneris, ut certi è sodalibus noctu obirent civitatem, ac deprehensos in plateis, aut angiportis mendicos & convenas, inedia, morbo, frigore confictatos deportarent in paratas aedes, necessariisque præfidiis adjuvarent. Dum arderet bello Flandria Socii Lovanienfes, ut maturam bello juventutem a jurgiis, libidinibus, ceterisque armorum vitiiis continerent, militare sodaliticum constituerunt, ejusque patrocinium vicario Archiepiscopi Mechliniensis, prætori urbis, consulique detulere. Hinc honor additus sodalibus, quorum numerus brevi ad trecentos excrevit.

Præcipuam meretur laudem civium nobilium sodalitas Romæ condita in Professorum domo, auctore P. Gregorio Mastrillio; qui collectam procerum manum certis devinxit legibus, ac Mariæ in cælum Assumptæ consecravit. Hunc in cœtum dedere nomen è sacro Patrum Purpuratorum collegio, Flaminus Platus, Simeon Taliavia de Aragonia; Augustinus Valerius, Octavius Paravicinus, & alii complures, è quorum numero septem Pontifices Maximos in suis factis sodalitas eadem hoc anno MDCCX. numerat: nempe Urbanum VIII. Alexandrum VII. Clementem IX. & X. Innocentium XI. & XII. Clementem denique XI. Præter ceteras pietatis exercitationes, huic Deiparæ sodalitati cum aliis ejusmodi contuberniis communes, hoc illa sibi proprium & peculiare sumpsit, ut civium dissidia componeret. Hujus rei gratiâ, quatuordecim urbis regionibus inter totidem sodalitiis primores distributis, excubant singuli diligenter, ut quidquid ortum fuerit simultatis ac dissidii cognoscant: tum insistent omni ope ad conciliandam pacem, interposito præsertim sacro Mariæ nomine, per quam orbi deplorato pax reddita: & inter leges faciendæ concordiæ prima hæc scribitur, ut

§. VI.

INSTITUTA PUBLICIS CALAMITATIBUS LEVANDIS PIA SODALITAS.

32.

Sodaliticum nobilium in Romana Societatis domo, cum aliis tribus conditum.

offensiones & injuriæ, Beatissimæ Virginis causâ condonentur. Post paulò separatum in sacellum congregati sunt nobilium sodalium famuli & asseclæ, ut propriis exercitationibus excolerentur; neve tempus illud, quod ab heris tam sanctè impendebatur, male disperderent. Ad hanc nobilium sodalitatē aliæ tres accesserunt publicis pariter devotæ commodis, sed civium inferioris gradus & fortunæ, in eadem Professorum Romana domo: una Virgini sine macula conceptæ; altera nascenti; tertia salutæ ab Angelo dedicata. Qui sodalitiū nascenti Deiparæ sacrum frequentant, singularem gerunt curam ægrorum in nosocomiis, & vincitorum in carceribus, quos invisunt statis diebus & certa donant stipe. Vincis etiam omnibus assignari cujuspiam ergastuli epulæ solenne præbent singulis ferè mensibus. Præit convivium Eucharisticum, quo reficiuntur quicumque attinentur in custodia. Ejusmodi liberalitas digna est visa, quam Summi Pontifices plenissimæ delictorum veniæ beneficio munerentur: digna, quam Romani proceres, quam plerique antistites præsentia sua & ministrandis egenti turbæ cibis, celebrarent.

Anno sequenti, nempe MDXCV. sodalitiū ingens ab initiis humilibus excitavit Simon Francus, è Societate, auditor theologiæ in Romano collegio. Ille cum à studiis divinæ scientiæ dabatur aliquid otii, circumibat vicatim officinas sellulariorum opificum, & salutis verba, quasi aliud agendo, subjiciens, piis narratiunculis deliniebat vacuas aures, ac prætereuntium turbam affluentem, ut sit, detinere conciuiculis, munusculis allidere, adjungere obvia facilitate consueverat. Jam magnus opificum numerus solebat ad collegii fores congregari, & orandi vivendique præscriptas à moderatore Franco servabat leges, cum admonitus Aquaviva, certum illis domi nostræ locum, in quem convenirent, assignavit.

Erat Augustæ Vindellicorum, ut in urbe maxima, numerus pistorum hæresi infectorum ingens; & augebatur in dies ob eam causam, quòd filias suas adolescentibus, quos artis suæ præceptis accepissent imbuendos, collocabant ea conditione, ut Fidem catholicam sponso abjurarent, Augustanamque confessionem, ut vocant, amplecterentur, cujus ipsi acerrimi erant ac pertinacissimi defensores. Præterea effecerant ut nemo catholicæ Fidei alumnus in pistorum corpus cooptari, ac donari civitate posset: quæ tamen bipartitum inter catholicos Lutheranosque jus obtinebat. Hinc non tantum religionis labe, verum etiam familiarum gravissima perturbatio. Rem unus è nostris sacerdotibus ad senatum detulit*, impetravitque ut decerneretur, licere advenis pistoribus catholicis frui civitatis jure, & uxores unde vellent petere. Quo decreto pistorum catholici, vetus sodalitiū brevi restituerunt, freudentibus Lutheranis; at probis omnibus juræ pristina, splendoremque arti tam necessariæ redditum, gratulantibus.

Circa annum MDCX. constata Neapoli sodalitas est è piscatoribus. Nihil hoc genere hominum vulgo crassius hebetiusque. Neque erudiri valde curant; neque facile, à quibus erudiantur, inveniunt. Data illis opera. Successus vota vicit. Quadringenti unum in cœtum collecti; tantusque decor moribus incultis additus, ut antiqua divinæ gratiæ vis eluceret, quæ Apostolos è piscatoribus elaboravit. Condita pariter Neapoli sodalitas per idem tempus fuit in gratiam mancipiorum, è Mauris Turcisque captorum. Adlecti sunt in hunc cœtum viri spectatæ probitatis, qui hæc servitia colligerent. Brevi fructus apparuit. Amplius quinquaginta Mahometani superstitionem impiam exuerunt: eorumque plurimi tantam sunt rerum divinarum adepti cognitionem, ut horas non paucas in meditatione pia facillime collocarent. At unus ex isto grege, Alcorani fabulis jam ab annis LX. passus, quem Societatis sacerdos exemplo sociorum adducere conabatur ad impietatem deponendam, resistebat pertinax & in errore obfirmatus. In morbum gravem incidit. Urgebat ægrotum sacerdos ut salutem suam consuleret. Quem Turca ferox una repellebat voce, Non faciam. Venit sub noctem medicus, accensam è cera faculam gestans. Adstabat noster morientis lateri, Crucem tenens manu, Tum vero nova ratione durum pectus expugnare aggreditur. Cercam facem arripit, ac brachio ægrotantis applicat. Nihil commoveri admodum est visus, donec ustulati semel iterumque brachii dolor excitavit obrutam mentem.

33.
Opificibus, nau-
tis, rusticis,
mancipii que
consultum ope
piarum sodali-
tatum.

* Anno 1597.

ac gemitum expressit: simul oculos aperit, ac repellit facem. Tum noster, irato similis, & minaci voce tonans: Quid agis infelix? ruis in sempiternos ignes: quorundem pacto illa feres incendia, qui fere igniculum hunc non potes? Ad hanc vocem velut evigilans Turca, nec jam idem, qui modo erat, Christi pendentis è cruce imaginem accipit, osculatur, baptismum orat. Vocem, qui circumstabant, præ lætitia sustulere: instruitur quantum erat satis; baptizatur; moritur.

Celebrat hodieque Corduba sodalitatem anno MDCIII. natam, & optimis nostrorum hominum curâ munitam legibus. Sodalitatem Sancti Spiritus appellant. Ineunte mense desinantur opera pietatis, in quæ quisque, vel cum aliis, vel seorsum, incumbat. Eligitur præsertim unus aliquis veluti patronus victorum, qui lites eorum expediat. Quia enim ex ejusmodi causis nihil aut perparum redit ad causidicos lucri, proclive est ut omittantur penitus aut negligantur, dum infelix turba in sordibus ac pædore contabescit. Certa per hebdomadam die, quâ lustrentur carceres a magistratu, præsto sunt ibi sodales duo, unus jurisconsultus, alter sacerdos, qui totius sodalitatæ nomine miserorum causas agant, cognoscant incommoda, remedia suggerant: tantumque valet auctoritas sodalium ac industria, ut sæpe duodecim solutos vinculis, interdum plures, abducant secum, magna gratulatione civitatis. Illud præ ceteris constitutum, ut quicumque carceribus atinentur, animum vinculis delictorum exsolvant identidem per sacram confessionem, & cœlesti reficiantur pane. Utque res plus habeat dignitatis, interfunt magistratus ipsi, parsque bona sodalium, a quibus post divinam rem peractam & concionem, lautiori cibo recreantur. Præterea datur id negotii cuiuspiam è sodalibus, ut egentes exquirat, ac stipem, etiam non flagitantibus, offerat.

Alia quædam Granatæ sodalitas emerfit, cui à Sancta Trinitate nomen. Ab ea tam insignes fructus exsistere, ut exemplis sodalium mutatam civitatis faciem Granatensis antistes affirmaret. Neque laus debetur levior sodalitati opificum in eadem urbe, quæ cives trecentis plures in ipsam cooptatos anno MDCIII. numerabat. Præter xenodochia, in quibus assidue versantur, hanc suscipiunt provinciam, ut collocandis honeste virginibus, & sublevandis egenis, elemosynas conquirant. Ita nemo gravem inopiam esse sibi sentit, sublatâ, quod inopia gravissimum pondus est, petendi precandique molestia & necessitate: carò enim emitur, quod precibus emitur; etiam si non essent, ut plerumque sunt, irrita. Jam si quis è sodalibus, tenuioris præsertim fortunæ, in morbum incidit, statim assignantur duo ex omni sodalium numero, qui ab ægrotantis latere non discedant.

Hæc sodalitas aliam non ab similem anno sequente procreavit. Subiit pios aliquot sacerdotes, itemque cives lautos ac locupletes, ea cogitatio, rem fore Deo acceptissimam, si occultam egestatem complurium familiarum leverent, quas annonæ caritas per biennium valde afflixerat. Ex iis triginta, in sex turmas divisi, bis qualibet hebdomada, per totam urbem fundebantur cum prægrandi cistâ, in quam cives, clamore admoniti, conjiciebant quod cuique commodum videbatur. Cistam hanc ad præfectum urbis deferebant, rogantes ut certos indicaret, qui præ ceteris egerent. Ille quosdam vel nominabat, vel parochis nominandos permittebat. Populus admiratione insolitæ caritatis permotus, tantam liberalitatem exprompsit, ut paucis diebus magnus pecuniæ, & frumenti subacti totisque numerus; ingens copia vestium & cibariorum omnis generis collecta sit. Fuere qui, cum mensæ primùm accumberent, audito sodalium solenni clamore, escas ad cenam paratas conjicerent in eorum sportam: in eandem alii gemmas, aurea ornamenta, & varia luxus pabula, prætereuntes abdidere. Hunc in modum vindicatæ ab ignominia & clade complures familiæ; consultum pudicitie virginum, derivata cœlestium donorum, quorum conciliatrix & nutricula caritas est, ubertas in civitatem universam, in qua nonnulli famosis nobilitati flagitiis, salutari pudore ac pœnitentia fuere concussi. Mahometani etiam ad religionem virtutis tantæ magistræ, abjurata infami superstitione, conversi. Archiepiscopus quidem Granatensis publice professus est, nullum opus utilius in proximos ab Societate profectum.

Quemadmodum Hispalis, celeberrimum Baticæ emporium, mercatoribus &

34.
Item vinctis,
ægris, puellis
periclitantibus,
litigantibus, &
egenis.

opibus; sic etiam litibus & litigantibus abundat. Quis enim opes unquam satis pacatas habuit? Inde quaestuosum forum, & fraudibus, incommodisque gravissimis infestum. Itaque sinistra dudum fama Hispalis laborabat. Auro venale jus, leges pretio additae, suffaminatae malis artibus lites; pulsa fides & aequitas exulare foro dicebantur. Hanc Deus uni e nostris injecit mentem, ut piam e fori principibus sodaliteram constaret*. Postquam iustus ad coetum integrum numerus coaluit, datus coetui praeses doctor Suarez Castilla, litteris, stirpe, virtute, nobilis: conditae sodaliterae leges, & a P. Claudio Aquaviva probatae: tutela aequitatis palam strenueque suscepta. Respiravit, quasi gravi soluta iugo, Hispalis: proscripta turpis iudiciorum ac sententiarum nundinatio: non iudicum ora vincta muneribus, non aures clausae pretio, tenebantur: non artibus veteratoris ac strophis implicatae lites in forensi tabulario senescebant, immortales aliquando & aeternae: non egestas innocens victam se nummarii iudicis urna deplorabat. Ad ipsum sodaliterae praepositum, sacerdotem nostrum, non paucae deferebantur controversae, quae adhibitis in consilium sodalibus, sine impensis ac strepitu ex aequo, ut aiunt, & bono dirimebantur. Mitto dicere quanta utilitas in publicam rem quotidie redundet e sodaliteris B. Virginis, quae passim in domibus Societatis instituta sunt. Hinc iudices integri, sapientes magistratus, patres-familias bene morati, religiosorum denique Ordinum lumina & ornamenta proficiunt. Estque observatum non uno in loco, qui ex eiusmodi coetibus procedunt in coenobia, & constantiores ceteris, & ad religiosam disciplinam magis veluti factos inveniri. Diceret B. Virgini cura esse, ut filii sui familias augeat hominibus idoneis & illustret.

* Anno 1608.

§. VII.
SAGAE VENEFCI,
& C. DEFECTI,
COMPRESSI, AUT
EMENDATI.

Sic humana res gravibus incommodis liberata feliciter est; at humanis tamen: restat unum quoddam malorum genus ab ipso profectum Tartaro, cui remedium quoque variis in locis Societas invenit. Praestigiatos dico, sagas, veneficos, Tartareis artibus grassari solitos ad publicam perniciem. Evocatus Ingolstadio a Duce Bavariae P. Gregorius a Valentia, theologis scriptis notissimus, diu multumque decertavit anno MDXCI. cum Bragadeno quodam chymico, seu verius mago: ac illum denique ad obeundam pie, qua damnatus erat, necem comparavit. Is domo Cyprius, vitae instituto, quod ejuraverat, religiosus; ingenio vaser, moribus perditus, praestigis pollens, familiares ex Orco lemures circumferre credebatur, duorum mira molis canum specie occultatos. Artem auri conficiendi certius, quam unquam antea, repertam a se praedicabat, quo nomine permultos sibi conciliaverat. Quippe mortales ab eiusmodi circulatoribus toties jam deceptos, artis ventosae fumus semper excacare perget.

35.
Bragadenus
chymicus & magus,
supplicio afficiendus resipiscit.

Post lustratam Italiam, & collectas opes veras magnasque, pro falso quod promittebat, auro, venerat Monachium, & placere coeperat; dolentibus, qui noverant hominem, Sociis. Eorum opera tandem agnitus, scelera poenas dedit. Cum haberetur de ipsius flagitiis quaestio, palam professus fuit hanc sibi primam fuisse mali labem, quod parum candide ac sincere olim egisset cum suis in religiosa vita moderatoribus, neque pravarum cogitationum fibras evellere statim atque elidere studuisset. Ad supplicium ductus dolorem de suis sceleribus maximum praetulit, eumque se acceptum referre Beatissimae Virgini confirmavit, cuius cultum nunquam penitus omisisset.

Haud minor eluxit Dei bonitas Leodii erga veneficum, qui captus tandem & merito supplicio afficiendus, divinae gratiae lucem oblatam aspexit. Totis quatuordecim annis artes magicae exercuerat, in hominum cladem diu noctuque intentus. Ubi cingulum e corio circumdederat corpori, exuebat humanam speciem, ac lupi formam & furem induebat. Sic in obvios irruens, eorum eruoere ferinam explebat rabiem. Tortus equuleo, forcibus conceptus, instar faxi stetit. Concurrit attonita civitas spectandi studio; unus e nostris accessit, servandi hominis cupiditate. Iudicibus anxiiis, & quid agerent incertis, auctor fuit ut clam in poculum aquam catholicis carimonis consecratam infunderent. Sipienti reo medicatus coelesti liquore scyphus porrigitur. Nondum hauserat integrum calicem, exclamat, ingemiscit: iterantur tormenta; orat veniam, omnia ultro,

ultra, illudque in primis, confitetur, à se deportatos in silvam pueros septemdecim, & partim concisos, partim laniatos; impetum in plerosque alios factum, at frustra, ob eam causam, quòd mane Crucis signo muniti essent. Memorabat præter ceteros de uno quodam grandiusculo, quicum diu luctatus, & à quo percussus fuisset, Adductus puer ita se rem habere confirmavit, & cicatrix adhuc in venefici naso exstabat. Societatis sacerdos iusta damnatum morte non deseruit. Magnam omnibus movit admirationem tam sancte mutati hominis patientia in gravissimo cruciatus. Moriturus matres voce magna obsecravit, ut liberos diligenter Fidei rudimentis imbuerent, eosque modum orandi, ac salutari signo Crucis utendi, edocerent: unum hoc certissimum contra Tartareas artes esse præsidium.

Aqua pariter sacra vim ad abigenda veneficia præcipuam inesse, pluribus exemplis comprobatum est. Vexatus magicis artibus colonus ingentem pecoris jacturam fecerat: fontem puræ ac salubris aquæ mala carmina infecerant, nec pecori tantum, sed familiae toti reddiderant pestilentem. Quodam è nostris admonente, aquam precibus Ecclesiæ consecratam projecit in fontem. Suus aqua color, salubritas sua rediit. Eiusdem sacri liquoris usu viginti Zagrabia civis, dolo sagarum nocturnis diurnisque exagitati terroribus, sanitati pristinae sunt restituti*. Earum una cum suas artes à concionatore Societatis palam exagitari doleret, illum ipsum veneficiis, & potentissimis, quorum experta sæpe vim erat, incantamentis circumvenire tentavit. Sed irritos conatus admirans, agnovit in potentioris domini tutela servum Christi esse, ac vetera cum Averno commercia penitus rescidit. Eandem ad veneficia propulsanda vim inesse Agni celestis imaginibus, effictis in cera, & sacro chrismate delibutis, constat. Mulierem perditissimam Conimbricae malus dæmon urgere non cessabat, ut sibi ipsa violentas asferret manus. Quo minus in miseræ fauces involaret, obstabat cera consecrata, quam gestabat è collo suspensam. Ergo multum hortatur ut illas quinquilias (ita enim loquebatur) abjiciat; monile gemmis baccatum pollicetur. Cunctanti minas incutit. Mirata mulier quid in illa ceræ particula tantopere formidaret improbus, studuit quid rei tandem esset è sacerdote Societatis cognoscere, & in spem salutis, quam plane proiecerat, erecta, Stygii tenebrionis pestiferos conatus elusit.

Non parum negotii Romanis Sociis faceffivit anno MDCVIII. alius quidam ejusdem artis magicæ peritissimus, & in carcerem ob maleficia conjectus. Domestico dæmone familiariter utebatur; faciebant invicem imperata, neque res erat ulla tanta, tam ardua, quam ab amico Tartari hospite impetratum se se non consideret scelestus præstigiator; unum si exciperes, quòd ejus ope vincula sua non posset perfringere. Hinc amicitia non parum refrixit, ac locus porro datus illius omnino convellendæ. Subiit carcerem sacerdos Societatis: mæstum, ac de perfido, ut aiebat, dæmone conquerentem alloquitur, consolatur, docet: demum ad sacram confessionem perducit. Hunc ut de peccatis absolveret postero die reversus, ablegatum ad triremes comperit. Veritus ne ex ipso pæne portu salutis in pristina revolutus flagitia periret (nulli enim peccata confessurus iterum videbatur, seu pudore malo, seu pœnæ metu; idque sibi deliberatum fuisse ipsem postea declaravit) facultatem impetrat a Præposito Societatis proficiscendi statim, ut ovem perditam inquireret. Illam vero non recepit solum, sed alias quoque prope jam devoratas, Tartareis è faucibus feliciter eripuit. Jacebat in promiscua remigum turba sacrae familiae alumnus. Ubi Patrem aspexit, auditque de parata, promissaque divinitus cuilibet pœnitenti, venia differentem, tanto correptus est dolore scelerum, tam suavi spe delinitus, ut ad sacerdotis pedes abjectus, veniam poposcerit, quam consecutus, continuo mortem obiit. Idem sacerdos in eodem itinere, cum explicans primum Decalogi præceptum, adversus veneficia superstitionesque verba fecisset, seductus ab uno auditorum, est, qui ei magicam ostendit pilam. Hanc ubi sumpserat in manum homo litterarum expertus, siebat subito philosophus excellens, poeta, orator, mathematicus, & de quacumque re pulcherrimè ac subtilissimè disputabat. Sed antea

36.
Artes piæ contra magorum præstigias & maleficia.

* Anno 1608.

37.
Salus quibusdam veneficiis allata.

sen-

fentiebat sibi colaphum infringi occulta manu, percuti sinciput, artus omnes & intima viscera commoveri. Huic erepta fuit cum superstitione mendax crudelitas, & sublata cum pila magica libri, artem evocandorum Manium docentes.

Creverat vehementer in quibusdam Germaniæ locis, circa annum MDCXIII. infelix veneficorum seges, neque ulla cruciatuum falce rescari poterat. Ab eorum nonnullis in vincula coniectis rescitum est adeo superbam & asperam in miseris exerceri a tenebrarum Principe tyrannidem, ut aliqui necem ultro deposcerent à iudicibus, quæ servituti teterrimæ finem imponeret. Puella certe vix annos sexdecim nata, cum plerosque iisdem secum implicatos veneficiis, vivos ad rogam raptari cerneret; quamvis ejus nomen adhuc detulisset nemo, ad quæstiores veneficiorum adit sua sponte, seque accusans ipsa, supplex postulavit uti lege in se agerent, nullum deprecans supplicium, modo excuteret intolerabile jugum diabolicæ tyrannidis, quo septimum jam annum opprimebatur. Eam itaque volentem quæstiores in reos retulerunt, & in custodiam abdidere. Jam ita comparatum est, ut quorum causa cognoscitur à iudicibus, illi Tartarei tormentis exeat dominatu: neque illos supplicio subducere hostis hominum valeat. Quod sapienter à Deo provisum est, ne nulla sit veneficorum plestendorum via, neve (quod Angelicus Doctor tradit) minus potestatis videatur tribuere Deus suis in jure dicendo ministris, quam dæmon suis satellitibus & mancipiis. Igitur puella beneficio carceris erepta inferno Principi, se totam contulit ad officia pietatis, & ad delendas superioris vitæ maculas. Actum est cum ea clementius, datumque illius ingenuo candori, ac voluntariæ publicæque criminum confessioni, ut ne in rogam viva conjiceretur. Cervicem gladio carnificis latæ subjecit. Ereptus pariter malo dæmoni, sed mitiore via, fuit nobilis adolescens Germanus, qui se illi sponte mancipaverat. Versabatur in aula Ducis Lotharingiæ, missus illuc à parentibus, tum ut aulæ cultissimæ indueret mores, tum ut Gallicam linguam condisceret. Ut erat à nummis instructus satis belle, nec abhorrens à ludo, nactus est collutores bene multos, qui brevi tempore marsupium adolescentis onere pretioso levaverunt. Suis exutus nummis, alienos & mutuos corrogavit: iis quoque spoliatus, incidit in summum marorem: cui dum indulget, secessit in vicini horti silvulam. Ibi doloris impatientia elatus, Si mihi, inquit, nunc dæmon cum turgente nummis sacculo se ostenderet, non valde recusarem, quin ei me totum dederem. Hæc locutus prodeuntem velut ex interiore silva juvenem videt. Cui de causa maroris sciscitanti narrat infortunium. Ille vero: Promptum est, ait, remedium; hos nummos cape; non habebis steriles: alios brevi parient, & auream tibi sobolem in sinum congerent, qua ditatus, promissi modo dati memor esto. Agit gratias ingentes lætus puer. Ludum reperit, quem deinceps habuit semper secundissimum; nec tantum a pristinis collutoribus pecuniam amissam recepit, sed alios omnes, quicumque infelicem tentare audebant aleam, nummis omnibus emungebat, Aderat vulgo ludenti sævus animarum prædo, tanquam unus è spectatoribus; aspectabilis quidem ceteris, unum tamen adolescenti cognitus, qui hoc magistro summam est adeptus notitiam ac facultatem omnium scelerum, quæ in ejus cadere poterant atatem: ac ne quis perdito regressus patèret, precationum libellus ab eodem hoste virtutis, tanquam ultimum Palladium, ereptus illi est. Annum vigesimum attigerat: domum ex aula Principis revertitur. Amici cognatique, monstrum ut viderunt ex omnibus concrerum flagitiis, cohorrere. Quibus ille candide retulit necessitatem sibi fatalem tot scelerum imponi: nullam spem, nullum ad bonam frugem reditum superesse, siquidem caput suum Orco jam oppignerasset. Adventare funestum diem adscriptum in syngrapha, suo exarata sanguine, quo die totus in Tartarei tyranni jura potestatemque transfiret; ac libenter quidem, quippe quem beneficium hæc ætenuis erga se ac liberalem semper expertus esset. Ita profanus ganeo in presentissimo salutis æternæ periculo jocabatur.

Omnes ex odio & irâ commiseratio subiit. Sola ejus mater, in communi dolore parum sollicita, id solum curabat ut filium in hæresim, cui erat perditè ad dicta, conjiceret; id est, ut novis eum Avernali belluæ vinculis obstringeret.

Per-

persuasit dæmon ut matri morem gereret: ac mancipium suum tot pignoribus sibi obligatum, ad infanda quædam & immania scelera palam impulit. Non jam placidus occurrebat, ut antea, facilisque congero; sed belluina tectus atque horribili specie. Adolescentis parens, homo catholicus, vinciri filium jubet, ad nosque transmitti Molsheimum. Collegii rector lenitate multa juvenem adortus, ad pœnitentiam scelerum adducere conatur. Ad pœnitentiæ mentionem dæmon infremuit; vexat illum acerbius; horrorem sacræ confessionis incutit: terribiles induit formas. Audiebantur in cubiculo porcorum grunnitus, serpentium sibila, & peregrinarum insana ferarum voces. Juvenis metu examinatus ita cum dæmone convénit, ut adulterinum chirographum, & ementitum, suo sanguine conficeret, ei simile quo se pridem ipsi mancipaverat; id Patribus offerret tanquam verum & genuinum: nempe ut adolescentem à servitute Tartarea vindicatum rati, è collegio dimitterent, ubi tanquam in libera custodia tenebatur. Expresso igitur è manu cruore, argumentum distante ferali magistro, chartamendax inaratur. Fraudem subodoratus famulus, & fallacem schedam, dum hero vestes exuenti operam navat, contemplatus, indicavit sacerdoti adolescentis custodi; & apparebat recens cruor; nitentes, & modo exaratæ characterum notæ; atque alia qua suspicionem auferent, indicia. Latebras interim captabat reus; nihil modestum compositumque verbis & ore ipso præferbat, ut facile videretur in gratiam cum dæmone rediisse.

Superveniens sacerdos, quasi re comperta, castigat severa oratione proterviam inconstantis animi & impietatem; denique blanditias minis remiscens, lacrymas & facti confessionem exprimit. Sed infestiores subito sensit adolescens dæmonem, cujus acerrimos experiebatur incursus, cum solus esset. Ventum igitur est ad exorcismos in Ecclesia catholica usurpari solitos. Illis non parum est relevatus. Sed nihil æquè profecit ad inimicam vim infringendam atque pœnitentiæ sacramentum, cujus usus quo erat frequentior, eo debiliores infandi prædonis conatus evadebant. Optimum quoque factu visum, si catholice Fidei professionem ederet, eodemque tempore dæmoni è scripta formula palam nunciium remitteret. Ea formula postquam in altari est reposita, obruit miserum, adolescentem animi tanta corporisque perturbatio, quantam non meminisset expertum se esse. Observabat illius oculis infernus satelles dentibus instrensens, & syngrapham sibi primùm datam ostentans ad terrorem. Rursum ergo exorcismorum tela intorquentur, quorum vim non sustinens exitialem chartam, uti jussus erat, deposuit pariter in altari, ac frustra minitans, in perpetuum excessit. Nomen adolescentis proditum nostris annalibus non est; credo ut nobilis familia ignominia qualiscumque taceretur. Ipsa res tot tamque perspicuis loci, temporis, ac personarum notis habetur consignata, ut in dubium vocari non possit.

Laborarum quoque utiliter in Gallia anno MDCXIV. & MDCXV. in comprimendis aut emendandis veneficorum maleficiis, quorum natio pestifera tunc atrocius bacchabatur. Et accidit nescio quo pacto, ut crudelius ac liberius certis locis ac temporibus exerceri nefandas artes Deus permittat. Frequentissima parentum apud nostros erant querimonia, quòd raperentur sibi de sinu per noctem infantes, & ad magica deportarentur orgia. Sanè constat veneficos atati teneræ cupidius insidiari: quod in communem humanæ naturæ peccato depravatæ pœnam conjicit Augustinus*. Alii dæmonis improbitati hoc ipsum tribuunt, in atatulam innocentem favere gestientis. Sunt qui parentum flagitiis id assignent, & supina in liberis educandis negligentia, quam Deus ita castigari patiatur. Certè impulsus capitali in genus humanum odio dæmon cultoribus Idoli Moloch* persuaserat, nullo alio sacrificio placandum facilius infame Numen, quam projectis in flammam teneris fetibus, tanquam lactentibus victimis, quas sibi damnatas prope simul haberet, ac natas. Hoc ipsum apud Indos, eodem impulfore, multis locis fieri, memoriæ proditum est. Adde quod magi petunt ab infantium corpusculis instrumenta maleficiorum: ex illorum extis venena, & unguenta conficiunt; quin etiam dicuntur pro certo habere, si corda eorundem voraverint, se tormentorum sensu carituros, neque ad confessionem criminum

ulla

38.

Cur venefici
maximè pueris
insidiantur.

*Lib. 21. de Civi-
tate Dei, c. 14.

*Levitic. 18.
Psalm. 105.
IV. Reg. 23.
Jerem. 32.

ulla unquam quæstionis acerbitate compellendos. Diram Tartari rabiem, nocturnasque incursiones, à multis pueris depulerunt Patres exorcismorum armis: ca-
ramen cum in omnibus non eandem habere vim cernerent, ad investigandam
causam animum intentius adjecerunt. Cognitum denique fuit impios quosdam &
sacrilegos Christi ministros, in conferendo pueris baptismo, usitatam, & præscri-
ptam ab Ecclesia formulam non usurpare, infantesque nequaquam in nomine Pa-
tris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed in nomine Beelzebub baptizare. Inde ac-
cidebat, ut veluti devota Erebo infantia, & sacramenti salutaris destituta præ-
sidio, veneficorum sævitia patèret, nec in animas divinæ gratiæ expertes, vim
suam sacra carmina obtinerent. Unum ex illis pueris, quos ad nocturna Baccha-
nalia impuræ Mænades rapere consueverant, sacerdos noster interrogandum sum-
psit, ex eoque rescivit, pueris illuc per vim delatis, cereas Agni cœlestis bul-
las, & reliqua, id genus, amuleta sacra, prius à sagis detrahi, quàm locum im-
piis destinatum orgiis inirent, eademque iis egressis restitui. Edidit etiam no-
men, quo dæmon à nefariis clientibus appellaretur, ejus formam descripsit, &
alia, quæ Patri visum est percontari, aperuit: non tamen impune. Nam insequentem
noctè abreptus puer in sagarum conventiculum, & ob indicium sacerdoti factum
multis verberibus affectus est; quorum impressa non leviter scapulis vestigia pos-
stridie ostendit. His cognitis Patres dederunt operam, ut baptismo infantes mu-
nirentur, adjecta conditione, si legitime dato carerent. Statimque sacramenti
virtus apparuit. Hoc enim velut interjecto vallo exclusæ sunt veneficæ puerorum
cubilibus, sacrilegisque conatibus prohibita.

39.
P. Cotonus arte
nova veneficos
debellat.

At in viros magica lue infectos magistratum deserviebat auctoritas. Edita
immanis reorum strages, accensæ ubique tristes rogi, consumpta flammis corpo-
ra. Nullæ tamen cruces, nulla busta pertinaciam animorum vincebant. Cum
animadverterent judices tantum incendium, tam latè fufum, non extingui pœna-
rum severitate, sed occultari duntaxat ad tempus, intereaque vehementius in-
valescere, rem totam ad P. Cotonum detulerunt. Ille artem novam rei confi-
ciendæ proposuit, nempe Missionem, ut vulgo vocant, hoc est, strenuos con-
cionatores, regionis & linguæ gnaros, qui horridi hujus sceleris demonstrarent
immanitatem, & populum Tartareis laqueis expeditent. Continuo dæmon artes
solitas exprompsit, ut antiquam retineret possessionem. Incessit animos populi
tetra consternatio, quasi capitales duumviri adventarent, & veneficorum quæ-
stiones ac pristina integranda forent incendia. Opinionem funestam & caliginem
discussere Patres, proposita Regis nomine, omnibus venia, & rerum præcrita-
rum oblivione, quicumque bona fide partes dæmonis defererent, & pacta cum illo
inita rescinderent. Sublato metu, populus ad verbi divini & sacramentorum
remedia confluit. Minus sex mensibus sexcenta & amplius capita erepta sunt ex
infanda servitute. Per idem tempus, Ruremondæ (quod Gueldriæ oppidum est
ad confluentes Ruræ & Mosæ) detectum ingens sagarum agmen. Septuaginta
flammis absumptæ: quodque in istis Orci mancipiis rarum, omnes ab infan-
desperatione ac pervicaciâ traductæ ad spem salutis & pœnitentiæ, præter unam
quæ dæmonio addicta muto, instar stipitis inter tormenta durissimæ quæstionis,
flammæque rogi perstitit. Ex aliis multa sunt cognita: illud in primis, qui sæ-
pius interessent divino sacrificio, qui sacramentis pie ac frequenter uterentur, iis
sagas, ut velint, nocere vix posse. Salutari JESU nomine disturbari nefarias
artes, cœtus nocturnos solvi, ac tenebrosas machinationes infringi. Potestatem
sæpe dæmonibus in eas res dari divinitus, quæ aut elaborata, aut in horrea
condita sint iis diebus, quos opere servili vacuos religio consecrat; narrabat-
que una, in quibusdam veneficorum nocturnis cœtibus multa vini plaustra ex-
hausta largiter fuisse; quia vinum fuerat in dolia defusum die Dominica, & pro-
inde abreptum à Tartareis prædonibus, quasi res ipsorum juris, ad puniendos
religionis violatæ reos. Quamvis autem sint istæ sagæ sanguinis puerilis avidissi-
mæ hirudines, nihilominus nefas illis esse consignatos Cruce infantes attinge-
re: idque ipsum è mago compertum, qui conspiciendus in ignem Leodii, affir-
mavit, cum è plurimis infantibus sanguinem vitamque suxisset, se ad vicini fi-
liolum

liolum nunquam accedere potuisse, quem salutarî signo, antequam in lectum in-ferretur, semper defensum invenisset.

Postremum hujus libri caput claudit hominis improbissimi, ex eodem illo dæmonis mancipiorum grege, reditus ad bonam frugem: qui non minus gaudii mortalibus attulit anno MDCXIV. quam beatis cœli civibus; lætari, teste Christo, solitis *super uno peccatore pœnitentiam agente* *. Is, interprete ac sequestro insigni venefico, servitutum Principi tenebrarum professus erat, verbo duntaxat, nam ut sygrapham impiæ devotionis testem scriberet, id quod enixè dæmon flagitabat, adduci nunquam potuit, tum quia scribendi rudis erat, tum quia venam sibi jubebatur incidere, ut sceleratæ pactionis infame carmen exararet. Ceterum satis obligari se aiebat, dicto in ejus verba sacramento; spondebatque tandiu se in data fide mansurum, quandiu vicissim dæmon vocanti præsto esset. Ac sane vocatus nunquam aberat. Vocandi porro hic tenebatur modus, uti non solum ipse juratus publicis litteris consignavit, sed etiam virorum gravissimorum ac doctissimorum testimonia declarant, unde hæc omnia hausimus. Certum in locum noctu se conferebat statâ horâ, nigro amictu indutus, qualis esse sacerdotum, cum ad aram operantur, solet. Ibi emergebat ex humo ingens & furva quædam umbra; huic thus adolebat adorantis more: tum demisso capite sentiebat imponi sibi manus; id signum domini & potestatis. Mox familiariter instituto sermone, docebatur quæ scire collibuisse, de arcanis Principum, de bellis, & aliis id genus rebus, quæ in disjunctissimis terrarum partibus gererentur; de amicorum negotiis & inimicorum: his ut noceret; illis ut faveret. Quamvis lucro & pecuniæ parum esset deditus, cum tamen aliquando nummorum aliquantum petisset, sensit in manum dari sibi micantes aureolos, & impendit. Verum quiritantem postea mercatorem audivit, illos nescio quo pacto periisse, nec repertos in eo, ubi fuerant accuratè repositi, loco.

Hunc in modum infelix dæmoni mancipatus cum singulis diebus Dominicis adorabat è præscripta formula, & Christo, Beatissimæ Virgini, ceterisque cœlitibus, cum insigni verborum contumelia nuncium remittebat. Contra vero de ipsis dæmonibus magnificè ac subtiliter, homo cetera litterarum experts, loquebatur. Illos tamen aiebat non quæcumque vellent ipsi, sed tantummodo quæ Deus permetteret, moliri posse. Uti hominibus ad nocendum, præsertim ad conspurcandas res sacras, ac divinam Eucharistiam probro & dedecore afficiendam. Alios aliis inferiores esse, & potentioribus operam verniliter navare. Unum ex illo infimo grege in annuli pala constrictum habebat; nec tamen habuit diu, quia ejusmodi annulum prope sacras Divorum reliquias abdiderat, quarum viciniam non ferens Erebi satelles, ruptâ cum fragore annuli palâ diffugerat. Interrogatus ab eo dæmon cur Crucem horreret, respondit candidè nec sine gemitu, se in ea & ab ea victum, ac spoliatum fuisse. Cur cœlo pulsus esset: negavit se fuisse pulsum. Sponte, inquit, cessi. Dei me pudebat, qui se ad humanæ naturæ vilissimam conditionem abjicere statuisset, cum ornari posset mea. Fugi, ne tantum viderem dedecus. Cœlum sibi Deus habeat, per me licet; opibus meis contentus sum, satis me beatus uno. Id ut persuaderet, formosissimi pueri speciem interdum induebat, transformabat se in angelum lucis, totus gemmis & auro coopertus, & mira de Angelicæ naturæ dotibus prædicabat.

Hæc imbutum opinione præclara & veneratione veneficum coepit contemptim ac duriter tractare, multa imperare gravia, multa exigere: detrectantem, obsequi verbis male ac verberibus accipere. Quæ tametsi ferret ille molestissimè, non audebat tamen excutere jugum, ultorem timens. Nihilominus arcta illa, quæ ipsi cum dæmone intercedebat familiaritas, sensim relanguit, impotentis heri crudelitate; primusque hic illi fuit ad vitam meliorem gradus. Accessit alter è luctuosa cujusdam avunculi sui morte, hominis longè sceleratissimi. Huic laboranti graviter operam dabat, cum subito assurgens æger, & instar canis rabidæ ululans, Me miserum, exclamat: rapior ad inferos æternis mactandus suppliciis. Merui sic perire: hæc debita sceleribus meis merces. Nec tamen

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

D d d

inco-

40.

Insignis venefici pœnitentia.

* Luc. 13.

incomitatus ibo. Hæc locutus vitam cum voce perdidit. Hoc spectaculo, hoc fulmine percussus percontatur a dæmone quid avunculo suo factum sit. Oratus multa prece dæmon, responsi nihil dedit; ne, si diceret vera, prædam fortasse amitteret. Ridere duntaxat visus, & quæ ab agroto de suppliciis æternis dicta erant, tanquam a phrenetico per furorem ac dementiam dicta, cavillari.

Tertiam divina bonitas admovit machinam ad impium pectus salutare metu conterendum. Accidit ut ille veneficus, quo sequestro ac magistro, dæmoni se mancipaverat, coortâ fixâ & susceptâ cum inimicis pugnam, comprehensus damnatusque suspenderetur. Dæmon ante pugnam ab eo consultus, rixam è voto successuram (nempe suo) prædixerat, ipsumque superiorem è pugna discessurum. Ac sane suspensus è patibulo, tanquam è superiore loco fuit, in coque mansit insepultus, donec illum discipulus ex arbore funesta detractum noctu, injecta raptim humo contegeret.

Agnovit enimvero tyranni Tartarei perfidiam, & in libertatem vindicare se statuit. Per eos dies instituta erat à Patribus Societatis missio, ut vocant, in Transiberina Urbis regione. Dum illac forte errat inquietus, & meliora secum volvens consilia, vidit unum è nostris concionantem in platea. Aurem admovet: concutitur, ingemiscit, ac discedentem affectatus, aperit quis sit, quis esse, Deo adjuvante, velit. Pater benigne auditum, & bono animo esse jussum remittit ad collegium Romanum, & sacerdotem illi indicat, à quo per otium, erudiri, & in viam salutis reponi possit.

Is P. Nicolaus Promontorius erat, qui exeunte Decembri anni MDCXIV. adeuntem audivit, & offusam animo caliginem discussit. Antonius interim dæmon fugitivum mancipium summa ope retrahere tentavit. Animum obruit incredibili mæore: horrendas rerum variarum formas objecit oculis, cubiculum, serpentibus & bufonibus implevit. Sexcenta quotidie occurrebant pericula, quibus in mediis impelli se sentiebat intus, ut auxilio dæmonem vocaret. Cum nihilominus propositi tenax monstratam salutis viam ire pergeret, occurrit illi dæmon blanda & honesta, licet ignota, viri forma rectus, &, Miror, inquit, quid tibi venerit in mentem, amicum veterem, post tot accepta beneficia, deserere. Hoccine probi & cordati hominis est? Saltem interjici moram oportuit, faciendumque periculum an amicus novus antiquo præferendus videretur, & periculum hoc facias adhuc licet; a Deo pete quodcumque liberit, idem a me postula. Uter voti compotem te fecerit, hunc sequere. Quid isthuc autem nugarum est, quod illigatum brachio geris? tene istis etiamnum superstitionibus duci? Sacrum numisma carpo applicitum gestabat; illudque, instante acriter diabolo, ac tanquam aniles phaleras deridente, abjecit. Statim miris conturbari modis, & corpore atque animo percelli cœpit. Vix ad collegium prorepsit, ubi per multas horas a Patribus Nicolao Promontorio, & Marcellino Albertogotto confirmatus, demum appensâ collo cœlestis Agni cerâ consecratâ paulum recreatus est.

Tum vero, illis hortantibus procumbens humi, nuncium diabolo remisit, & veniam a Deo suppliciter petiit. Restabat ut sacra confessio manum ultimam rebus bene inchoatis adderet. Eò perpelli non poterat. Hunc nodum Gordium solvere contendebant Patres, dæmon astringere validius, & magis magisque implicare nitebatur, alias ex aliis neçtens moras; mentem ream odio sacramenti penitus imbuens, & animi perturbationes vitiosas, habitusque longo usu velut innatos excitans, quo tanquam vallo atrium suum fortis armatus custodiebat*. Vivebat adhuc in scelerato pectore impurus amor: hunc vehementius accendit: & oblatu derepente, Si me adoras, inquit, & datam servare fidem non renuis, faciam ut hæc mulier, quam vincere hæctenus nequivisti, cras ultro se victam volentemque dedat. Hoc promisso inescatus infelix, dæmonem adoravit, & mutaram postridie mulierem nactus, admiransque vim potentis heri, rursus illi servitutem vovit, ac P. Promontorio ad poenitentiae sacramentum hortanti, candide quod gestum erat renunciavit; orans, ne tantam præterea molestiam

*Luc. XI.

lestiam sua causa caperet, sibi certum esse a pactis cum dæmone conventis non abire; mox imaginem Christi crucifixi, ac nescio quid sacrarum reliquiarum, ipsi reddidit. Sacerdos, iusto dolore percitus, exprobrat ingratum & immemorem animum; promissa Superis hominibusque data, beneficia divinitus accepta, commemorat. Postremò, vocem contendens, Erit illud, erit aliquando tempus, ait, cum repentina morte ad inferos raptus, avunculum illum tuum comitaberis, & quem dominum cui præferas, agnosces. His dictis attonitum stupentemque deserit. Occurrebat animo luctuosa mors avunculi, tum illius venefici, magistri olim sui: discedentem sub pedibus terram, hiantes inferos videre sibi videbatur.

Hoc actu concussus, redit ad collegium, ac Patres Promontorium & Albergottum arcessit. Pavorem suum confessus, rogavit ut quosdam sibi scrupulos eximerent, atque illud in primis quod à dæmone sæpius audiebat, Quid quid ageret, frustra esse: nec posse fieri ut qui se dæmoni totum dedisset, dæmonis totus non esset. Hanc in sententiam locuti quod opus erat Patres, addidere multa, quibus nutantem jam labantemque vincerent, altero partes agente lenitatis, altero severitatis. Fractus domitusque tandem exclamat, *Quid me jubetis facere?* Et Promontorius, Agere pœnitentiam, & hoc flagello tuam in mutanda mente levitatem, & perfidiam luere. Nihil cunctatus flagellum accipit, & ante Christi è cruce pendentis imaginem nudatis actutum humeris non paucas nec leniter plagas incutit, divinam lamentabili voce misericordiam implorans. Jussere deinde Patres, ut se ad sacram confessionem compararet. Id vero ut faceret commodius, & inimicam vim facilius frangeret, pernoctavit cum iisdem in eodem conclavi. Cumque bonam noctis partem orando, & afflicto corpore Patres transigerent, excitatus ad strepitum verberum accurrit, obsecrans ut cædendi facerent finem; suum esse, qui reus esset, pœnas dependere. Nullas detrecto, inquiebat, vel si constenda sint publice peccata, & omnium supplicia martyrum subeunda: graviora merui. Postridie lustratis aliquot sacris ædibus, ductus est domum Probationis, in Quirinali: nam in domibus nostris minorem nocendi vim dæmoni esse, ipso fatente, cognoverat. Eunti occurrit minax & feralis umbra; parva primo, dein paulatim se attollens, ut cælum vertice tangere videretur. Avernale terriculum discussit oratione & signo divinæ Crucis. Eadem, cum sacram obiret confessionem, stridere pone sacerdotis tribunal ac volutari conspecta. Postremò cum peccata deposuisset, ac sacram Christi Domini corpus in æde B. Virginis VIII. Kalend. Februar. anni MDCXV. sumpsisset, otium illi & quies ab hoste veluti foris fuit, vetito dæmone ipsius oculis, ut antea, & sensibus illudere: non item intus. Vix enim credi potest, quàm variis, quàm tetricis pulsatus diu noctuque tentationibus fuerit. Nec desuere scelerati, a dæmone procul dubio submissi, qui Turcos in fines, aut Genevam ipsum invitarent. *Nihil profecit inimicus in eo* * : tela omnia nequissimi retudit pio ac frequenti sacramentorum usu, studio precationis & pœnitentiæ, denique Patrum consiliis, qui tandiu his tempestatibus jactato adfuere, donec ipsum divina bonitas *lætitia salutaris sui, & spiritu principali confirmaret* *. Porro, ut Dei totus in posterum esset, quemadmodum totus antea dæmonis fuerat, religiosam amplecti vitam statuit, eaque mente cum duobus Capucinis Patribus in Corsicam Idibus Martiis est profectus. Hæc omnia ipsemet esse testata voluit, & ad divinam gloriam mandata litteris. Accessere testes quatuor idonei, quorum nomine & chirographo eadem sunt confirmata, die IX. Martii anni MDCXV. Et ipsa Patrum, quos tanti operis adjutores divina bonitas adfcivit, probitas, ac spectata fides argumenti satis est, ut nemo illud in dubium revocare merito posse videatur.

* Psalm. 88.

* Psalm. 50.

